DE CLAVSVLIS

A SEDVLIO

IN EIS LIBRIS QVI INSCRIBVNTVR

PASCHALE OPVS

ADHIBITIS

SCRIPSIT ET FACVLTATI LITTERARVM VNIVERSITATIS
MONTIPESSVLANENSIS PROPOSVIT

IVLIVS CANDEL

TOLOSAE
EX TYPIS SOCIETATIS SANCTI CYPRIANI
VIA DICTA ALLÉES DE GARONNE, 27

MCMIV

DE CLAVSVLIS

A SEDVLIO

IN EIS LIBBIS QVI INSCRIBVNTVR

PASCHALE OPVS

ADHIBITIS

DE CLAVSVLIS
A SEDVLIO
IN EIS LIBRIS QVI INSCRIBVNTVR
PASCHALE OPVS
ADHIBITIS

SCRIPSIT ET FACVLTATI LITTERARVM VNIVERSITATIS MONTIPESSVLANENSIS PROPOSVIT

IVLIVS CANDEL

TOLOSAE
EX TYPIS SOCIETATIS SANCTI CYPRIANI
VIA DICTA ALLÉES DE GARONNE, 27

MCMIV

PETRO BATIFFOL

STVDIORVM ECCLESIASTICORVM

FAVTORI HVMANISSIMO

PRAEFATIO

Primum lector monendus est amplius esse quam septem annos, cum ad hoc opus faciendum accessi; quod ne cito conficerem, angustiis temporis exclusus sum, atque identidem grauioribus officiis me interruptum esse fateor, dum increbescente harum rerum studio doctissimi uiri complures graecis latinisue clausulis intenti materiam prope infinitam immensamque delibant. Quod tamen uerebar, ne illis conquisitionibus comminuta res mihi esset, hoc non solum uideo non factum esse, uerum etiam contigit ut ex eruditorum uirorum commentationibus uberrimum hoc in genere fructum consequerer. Neque committendum esse putaui ut eorum inuenta, si qua essent, quaestui haberem; ex quo effectum est ut cresceret mihi paulatim materia, cuius ut copiam persequi possem, summatim exponenda mihi fuerunt quaecumque ad id quod quaerebam spectare uidebantur : atque interdum necesse fuit res quasi a principio repetere, quo firmioribus adminiculis inniterer.

Deinde restat ut muneribus iis fungar quae aequitas et amicitia postulant; atque primum grato et memori animo nominandus mihi est L. Couture, qui ut me ad hanc quaestionem tractandam adhortatus est, ita scribentem consilio iuuit, quem morte nuper abreptum esse cum multis gra-

uiter doleo. Neque paruo me obligauit beneficio Petrus Batiffol, Antistes Vrbanus, Instituti catholici Tolosani rector, qui libenter mihi concessit ut libris suis uterer, consiliique sui copiam fecit ; ex quo cum bonos fructus studia mea perceperint, non possum non ei iustas debitasque agere gratias. Maximas uero eas agam semperque habebo doctissimis uiris M. Bonnet atque H. Bornecque, quorum alter cum hanc dissertationem Vniuersitati Montipessulanensi propositam perlegisset, uestigia mea in hoc campo summa cum benignitate rexit, errantique interdum mihi uiam monstrauit, et ad nonnullas etiam, quae mihi non innotuerant, uirorum doctorum dissertationes me delegauit ; alter mecum per litteras comiter conlocutus de natiua latinorum pedum crebritate quaedam communicavit. Neque praetermittam libenti animo laudare uirum mihi familiarissimum Eugenium Martin-Chabot, Scholae Chartarum olim alumnum, nunc Scholae Gallicae in Vrbe socium, qui cum Parisini codicis meas lectiones a me rogatus recognouit, tum etiam mihi Floriacensem codicem inspicienti consilio atque auctoritate adfuit.

Scribebam Tolosae mense Decembri anni MCMIII.

CAPVT I

De clausulis quid iam scriptum sit;
quid noui ex peruestigatione mea eruendum esse sperem;
quam rationem hoc in libello secutus sim.

I

Non ita pridem de clausulis graecorum latinorumue scriptorum disputari coeptum est : extantque iam commentationes nonnullae, per quas compertum est fuisse certis temporibus quendam latinae et graecae prosae numerum, cuius norma omnes fere ambitus uerborum conficerentur. Eiusmodi uero structurae quae fuerit natura, uix adhuc suspicari licet, propterea quod, cum de disiunctissimis inter se maximeque diuersis temporibus permixte iudicatum est, tum uero nemini placuit illos in primis perscrutari scriptores, qui saeculo p. Chr. n. quinto floruerunt : apud quos numerum constat usitatum esse eiusmodi, quo nihil magis declaratum magisque artificiosum possit excogitari.

Namque primus omnium inspexit N. Valois epistulas summorum Pontificum saeculis praesertim XII et XIII scriptas, quarum numeros ad certas accentus cottidiani percussiones esse conformatos luculenter comprobauit. Mox Ludouicus Havet cum Symmachianas clausulas peruideret, eas syllabarum spatiis constitutas et quasi pedibus adstrictas esse deprehendit. Sed iam antea pauci praesertim in Germania magistri graecis numeris incubuerant, quorum tantum non omnium dux auctorque fuit Blassius, qui Demosthenis clausulas summa cum laude peruestigauit : nec defuerant

qui byzantinicorum etiam numerorum rationem internoscendam curarent : inter quos, post P. Bouvy, Haueti discipulum, maxime enituit Gulielmus Meyer Spirensis ; qui deinde et ad latinos uariorum temporum scriptores excutiendos se contulit, atque de uiris earum rerum studiosis optime meritus est. Quidam uero priscis etiam latinorum scriptorum numeris operam dederunt : atque primus omnium Georgius Wuest Ciceronis adgressus est clausulas ; qui quanquam rem uix inchoauit, uiam tamen expediuit ut uir maxime laudandus E. Mueller clausularum simplicissimas quasdam agnosceret formas, et argumentis euinceret Ciceronem graecis clausularum magistris usum esse illis, quos Asianos dicunt. Deinde Eduardus Norden, Franciscus Skutsch, alii rem totam cum repeterent, hoc in genere alia minime spernenda firmauerunt. Post eos uero qui nouissime Ciceronis clausulas pertractandas susceperunt Julius Wolff et Henricus Bornecque, ille Nordeni ac Skutschii, hic Haueti discipulus, argumentis nouis rem illustrauerunt : atque ipse Bornecquius cum ad reliqua pergeret, aliorumque scriptorum inspiceret numeros, non modo clausulas uerum etiam totos uerborum ambitus esse metricis implicatos legibus censuit, nec, ut opinor, falso : sed res magis noua est magisque singularis, quam ut ex Bornecquianis indagationibus quicquam in uniuersum concludere uel Sedulio nostro tribuere uelimus.

Ceterum accesserunt uiri docti qui christianis praesertim litteris animum intenderent ; inter quos L. Couture, quem ego magistrum piissima mente recolo, cursum, quem dicunt, apud omnes fere christianarum rerum scriptores agnoscere sibi uisus est, a tertio ad septimum usque saeculum. Atque utinam quod in universum prospexit leuiterque delibauit, penitus persoluisset. Nam cum de uetustioribus scriptoribus quaedam certa teneamus, de christianis res adhuc pendet, atque in incertum a plerisque revocatur : neque enim nos fugit controuersiam fuisse nuper Carolo Bellet cum Bollandistis[1] : quae diiudicari non potest quin christiani scriptores quam plurimi quasi uiritim expendantur. Res uero quanti sit momenti, iam dudum uiderant D. Grospellier et D. Mocque-

---

[1] Cf. *Anal. Bolland.* XVI (1897), pp. 501-506 ; XVII (1898), pp. 387-392.

reau, qui magna cum diligentia libros christianarum caerimoniarum quosdam pertentauerunt : atque ideo de illa quaestione meliora sperare uideor, quod docti uiri L. Bayard, R. Pichon, H. Bornecque, qui de Cypriano, Lactantio, Minucio Felice nuper scripserunt, operae pretium esse arbitrati sunt clausulis etiam illorum scriptorum aliquid tribuere.

Atque haec quidem de uiris eruditissimis qui ad enucleanda genera claudendi accesserunt. Postquam uero curaui ut suum cuique redderem, restat ut tot indagationes in uniuersum colligam, utque harum rerum continuationem quasi historicam perlustrare coner.

II

Inter dicendi scribendique praecepta quae traduntur, hoc satis tritum esse constat, quod circa uerborum structuram praesertimque circa periodorum uel incisorum clausulas uersatur. Attamen uix credibile est quanta sit perturbatio et repugnantia rerum in iis quae de structura rhetorica praecipiuntur a ueteribus dicendi magistris : ut cum magni momenti esse structuram omnes consentiant, alii tamen pro diuersitate temporum uel iudicii disparitate alios in clausulis pedes adamauerint [1]. Itaque ad pernoscendas structurarum leges (si qua tam uariarum rerum haberi notio possit), paullo tutior est ea, quam uocant, ipsorum scriptorum πρᾶξις.

Namque mirum est, statim ab antiquis temporibus quam acri et intento animo callidi scriptores oratoresue industriam in clausulis collocauerint; quanquam de singulis scriptoribus adeoque de uetustissimis nihil temere in uniuersum concludendum [2]. Etenim sophistae illi [3], per quos primum dicendi scribendique ratio ex illepida sinceritate ad elabora-

[1] Cf. H. Bornecque, *Quid de structura rhetorica praeceperint*, etc., pp. 84-85. Eodem spectat id quod scripsit M. Consbruch, *De Veterum* περὶ ποιήματος *doctrina* (Breslau 1890).

[2] Id quod de Isocrate collegit Blass (*De num. Isocr.* Kiel 1891), nullo modo aptum fuisse Demostheni censet Norden (*Die ant. Kunstp.* p. 911, n. 1).

[3] Cf. Norden, *Die ant. Kunstpr.*, p. 50.

tum artificium deflexit, insito quodam aptorum uerborum sensu [1] potius quam certa numerorum lege constructiones uerborum rotundas conformauerunt. Itaque apud Isocratem ipsumque Demosthenem et alios [2], quorum numeris dispiciendis doctissimi quidam uiri operam dederunt, nullam legem colligas, qua lege teneantur atque in unum redigantur clausulae.

Iam uero tot inter claudendi genera quae non ad rationem reuocari possunt, numeri quidam praestant ceteris ut magis in aperto esse uideantur, praesertimque eminent *ditrochaeorum, creticorum, choriamborum* percussiones: neque deest alia forma, quae fit *ex cretico ac spondeo.* Atque hoc animaduersione dignum, quod prima illa initia et uelut incunabula, quibus ars tota clausularum prodiit, solutae orationis numerum adeo uestigiis impresserunt, ut ipsa prae ceteris conspicua et ante oculos posita remanerent, dum ad cumulatam perfectionem accedebat claudendi artificium, eademque postea fere sola e tot perditis clausulis superfuerint, cum priscus ille numerus inclinari coeptus est.

Post Demosthenem uero uergente ad ornatam munditiem graeca eloquentia, magis magisque uidebantur eminere percussiones eae quas descripsimus, ut iam primo a. Chr. n. saeculo ceteros comprehensionum exitus fere excluderent: exemplo insigni est inscriptio quaedam Antiochi Commagenae, a. 1890 reperta [3], quae illis numeris fere omnino tenetur, ea

---

[1] De huius sensus natura, cf. R.-Westphal, *Syst. d. ant. Rhythmik* (Breslau 1865), pp. 100 sqq ;— W. Christ. *Metrik der Griechen und Römer* (Leipzig 1879²), p. 119 ; — Fritzsche, *De num. orationis solutae* (Rostochii 1875), pp. 7 sqq ; — Diels, *Gött. gel. Anz.* 1894, p. 3.

[2] Cf. Josephy, *Der oratorische Numerus bei Isokrates und Demosthenes* (Zurich 1887) ; — Blass, *Attische Beredsamkeit*, t. III (*Demosthenes*) Leipzig 1887, pp. 359-370 ; — *De numeris Isocraticis* (Kiel 1891) ; — *Die Rhythmen der attischen Kunstprosa* (Leipzig 1901) ; — C. Wichmann, *De num. quos adhibuit Demosthenes in oratione Philippica I* (Kiel 1892) ; — C. Adams, *De period. formis et successionibus in Dem. or. Chersonesitica* (Kiel 1891) ; — K. Peters, *De Isocratis studio numerorum* (Parchim 1883) ; — E. Belling, *De Antiphontearum periodorum symmetria* (Breslau 1868) ; — H. Schacht, *De Xenophontis studiis rhetoricis* (Berlin 1890), etc.

[3] Norden, *Die ant. Kunstpr.*, pp. 141-145 ; 917-sq : « Unter den Klauseln begannen der Ditrochaeus, und der Creticus + Creticus, oder + Trochaeus, mehr und mehr zu dominiren... »

tamen lege ut possit syllaba quaeuis longa in duas breues diduci. Atque adeo illas structuras a saeculo a. Chr. n. primo ad quartum usque p. Chr. saeculum floruisse comprobauit Norden, quem ego nunc satis fidum ducem uestigiis persequor [1].

De graecis autem numeris quid post quartum saeculum euenerit, uix prospicere possumus, cum harum rerum sciti quaestionem illam potius perturbauerint iurgiis quam argumentis illustrauerint. Hoc tamen unum constat, quod Gulielmus Meyer euicit, numeros graecos iam a quarto saeculo ad uim accentus cottidiani esse conformatos [2]. Sed quae fuerit eorum numerorum natura et ratio, tam incertis tamque contrariis indiciis non possumus diiudicare [3].

Verum enimuero graeci sermonis clausulae iam tum ad latinam dicendi rationem sunt adcommodatae cum scilicet Graecia capta ferum uictorem cepit [4], ita tamen ut haec artis incunabula satis imperfecta uel a quibusdam scriptoribus omnino [5], uel per intermissiones ad arbitrium neglegerentur. Atque illo tempore factum esse nonnunquam uidemus, ut in narrationibus quidem et in demissis sententiis adhiberetur scribendi genus omni solutum numero, in sublimi au-

---

[1] Has structuras docet Norden fuisse id temporis praecipuas : 1° ⏒́ ⏑ ⏒́ ⏒́ ∾; 2° – ⏑ – ∾, 3° – ⏑ – – ⏑ ; 4° – ⏑ ⏑ – – ∾ ; 5° – ⏑ ⏑⏑ – ∾, etc. (p. 919).

[2] *Fragmenta Burana* (Berlin 1901), p. 156.

[3] Post E. Bouvy, cuius librum (*Poètes et Mélodes*, Nîmes 1886) Meyerus uocat *Wirwarr*, legem hanc tulit ipse Meyerus : « Die Silben, welche einer Sinnespause unmittelbar vorangehen, sollen einen bestimmten Tonfall haben; hiebei soll aber nicht die Länge oder Kürze der Silben, sondern nur der Wortaccent berücksichtigt werden ; und zwar sollen *vor* der letzten Hebung der Art mindestens 2 Senkungen stehen..., *nach* der letzten Hebung kann stehen was will » (*Der accentuirte Satzschluss in d. griesch. Prosa vom IV bis XVI. Jahrh.* Göttingen, 1891, p. 6 sq). Quam legem labefactare conati sunt K. Krumbacher, C. Kirsten, C. Litzica (*Das Meyersche Satzschlussgesetz*, München 1898), alii. Constantini Litzica librum reprehendit Ludov. Havet *Byzantinische Zeitschrift* VIII (1899) p. 535. Respondit ipse Meyerus acutissime (*Fragmenta Burana*, pp. 157 sqq.). Adhuc sub iudice lis est.

[4] *Et apud Graecos quidem iam anni prope quadringinti sunt, cum hoc (= numeri) probatur; nos nuper agnouimus*. Cic. Or. 51, 171.

[5] « Rhythmischen Satzschluss ignoriert Sallust, und zwar, wie es scheint, aus Prinzip » (Norden, *Die ant. Kunstpr.*, p. 203 n.).

tem dicendi ratione potius eligerentur uerba in numerum coaptata.[1] A Cicerone autem repetendum esse constat artificium claudendi quoddam satis certum. Nec tamen inter omnes conuenit qua ratione pedes singuli in exitibus internoscantur ; namque doctorum uirorum alii, iique praesertim germani, ceteris neglectis rebus, spatia sola syllabarum postremarum attendunt singula, alii in secernendis pedibus magni etiam momenti esse ducunt spatiorum coniunctiones pro eo ut singulis uocabulis conformantur. Atque ratio prior minus implicata esse mihi uidetur, posterior tamen ad uerum propius accedere : sed hac de re infra disputabo. Nunc satis habeo, ut utriusque rationis bona componam, quae cum auersa uideantur, aliqua tamen ex parte inter se congruunt. Hae sunt igitur praecipuae Ciceronis clausulae, quales quidem tot e libris tamque uariis opinionibus[2] ego colligere potui :

1° Ditrochaeus : – ⏑ – ∾[3].
2° Creticus auctus trochaeo : – ⏑ – – ∾.
3° Dicreticus : ⏑ ⏑ ∾.
4° Creticus auctus iambo : – ⏑ – ⏑ ∾.

E quibus formis quattuor si longas dissolueris, uel in clausula prima pro breuibus longas substitueris et ultimam modo breuem modo longam esse concesseris, oriuntur hae clausulae :

1° { ⏑ – ∾
⏑⏑ ⏑ ∾
∾

[1] Exempli causa nominandus Nepos (Schmidt, *Satzrhythmus und Neposfrage* in *Zeitschrift f. d. Osterr. Gymn.* 1895) ; item ipse Cicero in epistulis (Bornecque, *La prose métrique*, etc., p. 3).

[2] Cf. G. Wuest, *De clausula rhet. quae praecepit Cicero*, etc. (Argentorati 1881) ; — E. Mueller, *De numero Ciceroniano* (Berolini 1886) ; — L. Havet, *Cicero de Oratore* (Rev. de Philol. 1893) ; — Frid. Marx, *Incerti auctoris de ratione dicendi ad Herennium libri IV* (Leipzig 1894) Prolegomena, p. 99. — Schmidt, *D. rhyth Element in Cicero's Reden* (Wien 1893) ; — Norden, *Die ant. Kunstpr.*, p. 213 sqq., 930 sqq. — H. Bornecque, *La prose métrique*, etc. (Paris 1899) ; — May, *Der rednerische Rhythmus mit besonderer Besichung auf Cicero's Orator* (Durlach, progr. 1899) ; — J. Wolff, *De clausulis Ciceronianis* (Leipzig 1901) ; alios.

[3] Hoc signo ∾ licebit notare postremam syllabam, quae uel longa uel breuis esse potest.

2°
- ⏑ – - ∾
— ⏑ ⏑⏑ — ∾
⏑⏑ ⏑ — — ∾

3°
— ⏑ — — ⏑ ∾
— — — — ⏑ ∾
⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ∾
— ⏑ ⏑⏑ — ⏑ ∾

4°
- ⏑ ⏑ ∾
— — — ⏑ ∾[1]

Aduertas uelim ditrochaeo uel dispondeo saepissime pedem priorem alterum accedere qui plerumque creticus est : ⏑ ∾ ∾.

Iam uero in his structuris non tantum spatiis attendendum esse, uerum etiam syllabarum copulationibus, luculenter patefecerunt L. Havet ac H. Bornecque, nec ipse Wolffius ignorauit, qui aliam secutus uiam, eodem fere reccidit[2]. Vnum igitur nunc praemonere uolo, rem plerumque ita se habere, ut extremum clausulae uerbum (seu uerba extrema duo enclisi, quam dicunt, consociata) quasi pro clausulae parte altera ualeant, cui pars altera prior sit coniungenda, atque vocabulo priore toto uel ultimis vocabuli syllabis duabus aut tribus aut ad summum quattuor conficienda. Pars autem seu uox posterior ea lège in priorem dominatur, ut illius peruestigata natura, hanc praeiudicare sine ullo fere metu erroris ualeamus. Porro si Ciceronianum clausularum usum inspicimus, has habemus praecipuas clausulas, hisque sollemnibus caesuris distinctas :

1° { — ⏑ / — ⏑ } - ∾

2° { / — ⏑ } ⏑ ∾

3° { - ⏑ / ⏑⏑ ⏑ } — ∾

4° { — ⏑ / — ⏑ / - } — ⏑ ∾

[1] Cf. Wolff, *De clausulis Ciceronianis*, p. 582.
[2] *De claus. Ciceron.*, pp. 599 sqq.

5° { — — / — ∪ — / — ∪ ∪ } ∪ — ∾
6° { — ∪ — / ∪ } ∪ ∪ ∾
7° { ∪ / ∪∪ — / — ∪ ∪ } — ∪ — ∾
8° { — ∪ / — — } ∪ ∪ — ∾
9° { — — / — ∪ — } ∪ — — ∾
10° { — ∪ — / — ∪ / — — } — — ∪ ∾
11° { ∪ / — — / ∪ — } — — ∪ ∾
12° { — — } ∪ — ∪ —
13° { — ∪ / ∪ } — ∪ ∪ ∾

Prae ceteris uero hae longe eminent, quas nunc auctoritatis ordine supponimus :

1° { ∪ / ∪ ∪ ∪ } — ∾
2° { ∪ — / — ∪ } ∪ ∾
3° { — ∪ / — — } ∪ — ∾
4° { — ∪ — / — ∪ } — ∾
5° | — ∪ — | — ∪ ∾
6° | — ∪ | — — ∪ ∾
7° | — — | ∪ — ∾

Prima igitur omnium clausula, quae pretio ceteras longe antecedit, eum ipsum numerum sonat, qui a medii, quem uocant, aeui dictatoribus cursus planus dictus est. Secunda simul ac quarta, quae Ciceronianis temporibus uigebant, postea non omnino perierunt, cum apud Sedulium nostrum reperiantur utriusque reliquiae (— ∪ — | ∪ ∾, uel — ∪ — | — ∾).

Tertiam, quam Cicero iam in deliciis habebat[1], praesertim cum priore cretico, cursus aevi medii velox imitatus est. Quinta paulatim decidit, nec tamen sine uestigiis : quae apud Sedulium apparent, et ad cursum medii aevi tardum aliquo modo accedere uidentur. E sexta proprie ortus est cursus ille tardus; septima neglectis syllabarum spatiis ad cursum planum reducitur.

Haec quidem iam a Ciceronianis temporibus; ac modo res in uniuersum tantum prospiciatur, deinde per saecula fere quattuor omnis oratio numerosa sese his clausulis implicauit. Constat tamen illis etiam temporibus fuisse scriptores nonnullos, qui et ipsi infracta et amputata loquerentur[2], et eos uituperarent qui apta et finita concluderent[3]; sed multo fuisse maiorem eorum numerum, quorum propemodum absolute concluderetur oratio[4]; qui tamen non omnes uitio semper carebant. Nam alii uerba traiciebant aperte, quo melius uolueretur et caderet oratio[5]; apud alios autem, et Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperies inania quaedam uerba, quasi complementa uerborum : inter quos fratres illi, Asiaticorum rhetorum principes, Hierocles et Menecles minime fuerunt contemnendi, quanquam apud eos uarietas non erat, quod omnia fere concludebantur uno modo[6]. Nobis autem uidetur in oratione diu permansisse genus illud dicendi triplex, aliud inconditum et claudicans, aliud accuratius atque eodem semper numerorum genere implicatum, aliud libera quadam mediocritate temperatum. Atque alius etiam generis fortasse uestigia supersunt : genus

---

[1] Cf. Or. 63, 212. Insistit autem ambitus modis pluribus, e quibus unum est secutum Asia maxime, qui dichoreus uocatur.... Dichoreus non est ille quidem sponte sua uitiosus in clausulis.... Cadit autem per se ipse praeclare, quo etiam satietas formidanda est magis. — Cf. Fr. Marx, *Proleg. in libros de arte dicendi ad Herennium* (Leipzig 1894), p. 99 : « Dominabatur in clausulis tempore belli Marsici ditrochaeus.... »

[2] Inter eos Sallustium, Caesarem, mox Tacitum. Cf. Norden, *Die ant. Kunstpr.*, p. 942; Bornecque, *Rev. de Phil.*, XXIII (1899), p. 335.

[3] Or. 51, 170.

[4] Or. 69, 229.

[5] Or. 69, 231.

[6] *Ibid.*

illud dico, quod in incerti auctoris comoedia quadam fuisse opinatus est L. Havet[1], quanquam hoc exemplum censuit unicum Gulielmus Meyer[2]. Tanta igitur rerum varietas nunquam animo nobis debet excedere, inquirentibus qui fuerint orationis numeri a Cicerone ad Symmachum ; necnon aduertendum, uocabulorum coniunctiones haud paucas ipsa latinitatis natura sponte propemodum cadere ad numeros[3].

Itaque quod placuit doctis quibusdam uiris, legem uidelicet aliquam indagare, ex qua oriri potuerint illi solutae orationis numeri, hoc mihi uidetur adhuc temere ac uix inaniter factum, cum multis de causis, tum etiam propterea quod in computationem coguntur cum certis quibusdam clausulis exitus alii comprehensionum dubii, uel quod nonnunquam de industria scriptoris id esse conclusum creditur, quod ipsa rerum natura uenit ad numeros. Voluit enim Georgius Wuest in ea clausula quae est – ◡ – ⏑́ ∾ Ciceronem dedita opera id effecisse, ut cum extenta paenultima accentus cottidianus concineret ; Mueller[4] arbitratus est clausularum concinnitatem a responsione atque iteratione pendere totam, sibique uisus est earum omnium agnoscere simplicissimas formas quattuor, a quibus ceterae profectae sint : atque Zielinskius hoc in genere nimius ceteras omnes formas ex una esse natas docuit[5]. Conatus est ipse Gulielmus Meyer, earum rerum quas inuenerat, uniuersam rationem elicere ex latinorum creticorum copia : inde rogata ea quae dicitur creticorum lex, qua creticos inesse omnibus clausulis oportet nunc puros(– ◡ –) nunc liberos (*freier* ∾ ◡ ∾) nunc inuersos (*verschobenen*, – – ◡), nunc in extrema positos clausula, nunc

---

[1] Cf. Havet, Le *Querolus*, etc. (Paris 1882).

[2] *Fragm. Burana*, pp. 153-154. Errat Norden (*Die ant. Kunstpr.*, p. 759) qui eodem recidere putat uitam quandam S[ti] Eligii saeculo VII scriptam (ed. d'Achery Paris 1723) ; neque enim animaduertit hexametrorum exitus, quibus in hoc libro conficiuntur clausulae, a Sedulio nostro esse desumptos (*Carm. Pasch.* I, 17 sqq.).

[3] Cf. Bornecque, *Rev. de Phil.*, (XXIII 1899), p. 335 ; — Const. Litzica, *Das Meyersche Satzschlussgesetz* (München 1898), p. 13.

[4] *De claus. Cic.*, p. 33 sqq. ; idem fere sentit F. Blass (*Die Rhythmen der attischen Prosa* (Leipzig 1901), p. 187.

[5] Cf. *Deutsche Litteraturzeitung*, XXII (1901), p. 1258. Ut G. Meyer, ita Zielinskius a creticis prioribus rem totam profectam esse censet.

exceptos una syllaba (–◡–≂) nunc duabus syllabis (–◡––≂) nunc tribus, cum praesertim fit geminatus creticus (–◡––◡≂)[1]. Neque infitior hac regula plurimas pedum coniunctiones comprehendi : sed idcirco quod ad antiquissima simul et nouissima scripta conuenit, potest Meyeri lex in suspicionem uenire, utpote quae res nimis diuersas colligat, et clausulas fere quaslibet commendare possit[2]. Rem denique retractauit Bornecque, Meyeri detrectator in uno (ut mihi quidem uidetur) sapiens et iustus, quod, cum priscis rhetoribus consentiens [3], arbitratus est solutae orationis numeris satis esse, si uersuum numeros omnino effugiant. Sed cum Meyeri redarguat regulam, utpote quae simplicior sit, ipse in implicatis haeret legibus, quas nescio quo modo potuerint prisci scriptores complecti memoria atque in promptu semper habere [4]. Atque sane optandum est ut ad uerum penitus accedant quicumque Ciceronianarum clausularum rationes anquirunt ; nec tamen harum rerum causas internoscere nunc quidem ad id quod quaerimus pertinet, modo dum res ipsas accurate singulas persequamur.

Videmus igitur hoc accidisse, ut ex iis numeris quorum

---

[1] Cf. *Gött. gel. Anzeigen*, I (1893), pp. 1-26. Cf. *Frag. Burana*, p. 154.

[2] « Cette théorie revient donc à dire qu'on peut terminer la phrase comme on veut. » (Bornecque, *La prose métrique*, etc., p. 197.)

[3] Cf. Ciceronis, *De Or.* III, 44, 175 ; 47, 182 ; *Or.* 56, 189 ; 57, 94 ; 59, 201 ; etc.

[4] « Si le dernier mot ressemble à une cadence de vers, que l'avant-dernier détruise à l'avance cette impression. Mais ceci ne suffit pas. Car par exemple devant un quadrisyllabe choriambe final –◡◡≂ (fin de pentamètre), pourquoi ne trouve-t-on jamais le spondée, qui suffirait à briser la cadence ? Devant le spondée final, il suffirait d'écarter le dactyle ; or on évite l'anapeste, on admet le trochée, le crétique, et même leur monnaie ; donc on brise aussi le rythme en changeant de genre ;... mais ce n'est pas tout. On rompt enfin le rythme dans le même genre (le genre double spécialement) en opposant des pieds dont le temps fort n'est pas au même rang... » (Bornecque, *La prose métrique*, p. 200). Cf. *Revue de Philol.*, XXVI (1902), p. 117 ; *Musée Belge*, VII (1903), p. 18 : « La phrase étant divisée en pieds de trois ou quatre unités de mesure, un pied de trois unités est précédé d'un pied de quatre, ou inversement » ; p. 1 : « Je saisis cette occasion de dire ce que je dois aux objections dirigées contre ma théorie, surtout par M. de Jonge ; elle m'ont forcé à la préciser, et par suite à la rendre, je crois, plus solide. » Cf. de Jonge, *Musée Belge*, VI (1902), pp. 273-278.

usus auctore Cicerone increbuit, labente temporum cursu alii obsolescerent, alii euanescerent, alii uero eminerent. Post Ciceronum autem qui pedes deprauari coepti sint, quiue perierint aut inualuerint, aliquo modo suspicari possumus ex optimis indagationibus, quas habuere L. Couture, Norden, Bornecque, Gul. Meyer, atque omnium nouissimi L. Bayard, R. Pichon, E. de Jonge. Nam H. Bornecque paucos primum Plinii, Quintiliani, Taciti contulit locos, ex iisque certa claudendi genera collegit[1]; rem uero non omnibus uestigiis pertractauit, neque (id quod caput est) clausularum singularum diiudicauit pretium; nuperrime uero cum uberius atque subtilius de Floro deque Minucio Felice disputaret, rem omni ex parte persecutus est[2]; atque certis argumentis euicit, ab utroque scriptore ea tantum postrema uerba in exitibus clausularum esse coaptata, quae formis essent praedita ditrochaicis, molossicis, epitritis III, choriambicis, ionicis a minori; cetera uero esse multo rarius adhibita, quam ipsa latinitatis natura ferret. Iam ergo obsolescebant postrema uocabula spondiaca, iambica, cretica. In extrema etiam clausularum parte docet Bornecquius utrique placuisse scriptori, ut uerbis postremis ditrochaicis praeesse tantum posset creticus, siue plerumque purus, sine nonnumquam liber (⁓ ⏑ ⁓)[3]; ceteris uero generibus quattuor, trochaeus uel (priore dissoluta longa) eiusdem mensurae tribrachys. Neque de Apuleio aliter rem sese habuisse constat[4].

Nunc ad tertium accedamus saeculum. L. Couture primum quaedam de S. Cypriano protulit, quae nullis tamen argumentis firmauit[5]. Gulielmus Meyer cum rem in uniuer-

---

[1] *La prose métrique et le dialogue des orateurs*, in *Rev. de Phil.*, XXIII (1899), p. 335.

[2] *Musée Belge*, 1903, pp. 1-21, 247-265. De Minucio rem inchoauerat E. Norden, *De Minucii Felicis aetate et genere dicendi* (Gryphiswaldi, 1897, pp. 15 sqq.); Cf. *Die ant. K.*, p. 943.

[3] His pedum nominibus utor Meyerum secutus (*Fr. Bur.*, p. 154); tribrachyn enim Bornecquius una auget syllaba ut paeon fiat, anapaestum item una, ut fiat choriambus uel paeon alter.

[4] Cf. Kirschhoff, *De Apulei clausularum compositione*, in *N. Jahrb. f. Phil. Suppl.* Bd XXVIII (1903), pp. 1-sqq; Gatscka, *Quaestions Apuleianae tres*, II *De Apulei sermone numeris astricto* (Diss. Phil. Vindob. VI, pp. 159-sqq).

[5] *Le Cursus ou rythme prosaïque* (1891).

sum primo prospexisset [1], haud ita pridem selegit in argumentum ac quasi sortitus est eiusdem Cypriani locum, cuius clausulas sagaciter peruestigauit ac descripsit [2]; deinde hac in re multum operae ac laboris consumpserunt L. Bayard et E. de Jonge, atque Lactanti clausulas peruidit R. Pichon, Apulei Alfredus Kirchhoff et Fridericus Gatschka [3]; quorum quanquam ratio non omnium una, summa tamen consensio est ut credere possimus apud Cyprianum Apuleium Lactantium eas tantum ualuisse prae ceteris clausulas quae Floro Minucio aliis placuerant, praeterquam quod fortasse cretici prioris longa paullo rarius dissoluebatur, atque pauciora obueniebant huiusmodi conclusiones : [*glori*]*osus chorus* – – | ⏑ ⏒, *Deus uideat* ⏑ – | ⏑ ⏑ ⏒ : atque E. de Jonge comprobauit in Cypriani scriptis non modo in numeros cecidisse comprehensionum exitus, uerum etiam incisorum fere omnium conclusiones esse eadem ratione ac lege numerosas [4]. Quod uero in controuersiam uiri docti prius uocauerant, de ratione monosyllaborum illorum *sunt est* in clausularum exitibus, hoc L. Bayard enucleauit [5], ut quod ad Cyprianum attinet pro certo teneamus, eiusmodi monosyllaba cum uocabulo priore esse enclisi consocianda. Denique ostendit Alfredus Kirschhoff Apuleiani moris esse, ut, binis uocabulis hiantibus, sua priori uis metrica tribuatur, neue in primis plerumque littera *m* elidatur [6]. Nunc uero proximum est ut auctore atque

---

[1] *Gött. gel. Anz.* I (1893), p. 20.

[2] *Fragm. Burana*, p. 154.

[3] L. Bayard, *Le latin de saint Cyprien* (Paris 1902), pp. 298-307; — E. de Jonge, *La clausule oratoire d'après saint Cyprien* in *Musée Belge*, VI (1902), pp. 262-279, 344-363; — R. Pichon, *Lactance* (Paris 1901), pp. 324-334.

[4] *Op. cit.* p. 345, n. 6. « Je n'écarte pas les autres phrases courtes ; elles sont généralement métriques. » — Idem fere de Lactantio comprobauit R. Pichon, *o. c.* p. 332.

[5] *Op. cit.* p. 303, n. 1. Cf. E. de Jonge, *M. Belge* VI (1902), p. 358.

[6] Kirschhoff, *De Apuleia claus. compositione* in *N. Jahrb. f. Phil.* Suppl. XXVIII (1903), pp. 12-13. — Ad summam id uerum est quod his duobus annis scribebat W. Meyer : « Diese vorgeschriebenen Formen der rhythmischen Schlüsse wurden bei den Lateinern von 200-400 nach der Quantität gebaut und bestanden... hauptsächlich aus 2 Formen : entweder schlossen 1 1/2 oder 2 Kretiker; oder ein viersilbiges Wort von den Formen – ⏑ – ⏒

duce Ludouico Havet, ad Symmachianas ueniamus clausulas, quas in unum hoc schema redactas proponimus :

1°	∾∪∾	–∪–∾	25 0/0	91,15
2°	–∪ / ∪∪∪	––∾	22,5 0/0	
3°	–∪	∪∪–∾	5,8 0/0	
4°	∪∪∪ / –∪	––∪∾	20,2 0/0	
5°	∪∪∪ / –∪	–∪∪∾	10,4 0/0	
6°	∾∪∾ / ∾∾	–∪∾	3,1 0/0	
7°	∾∪∾	∪––∾	3,0 0/0	
8°	––	∪–∾	1,3 0/0	
Monosyllaba, bisyllaba, plus quam tetrasyll			8,5 0/0	8,5
				100,0 0/0

Antequam uero hunc indicem cum Tullianarum clausularum schemate altero (p. 8) conferas, animaduertendum, quas insignes eruimus Tullianas clausulas septem, eas uix pro dimidia ceterarum parte adhibitas esse, Symmachianas uero iam pro partibus summae nouem : qua comparatione tenebis quanto opere clausularum uarietas progrediente tempore sit inminuta. Longe igitur ita tunc praestitit, ut antea inter ceteras eminuerat, clausula illa –́∪–̀–́∾, quae cum sollemnem hanc patiatur caesuram quae est –́∪ | –̀–́∾, interdum dissolui potest hoc modo : –́∪ | ∪∪̀–́∾. Tum ditrochaeo creticus auctus mirum in modum increbescit. Iam uero magis ac magis obsolescunt genera claudendi bisyllaba quae Cicero in deli-

---

oder ∪––∾, dem in Afrika nur ein Wort mit vor letzer kurzer Silbe vorangehen durfte (also *plūrĭmos* oder *plūrĭma* oder *mĭnĭmos* + *cōncĭtāmus*, oder *crĕābāmus*) während bei den Italienern (so bei Minucius Felix, denn er war Italiener) und bei den Galliern statt des unreinen Kretikers auch ein Spondeus vorangehen durfte (also *plūrimos* u. s. w. oder *mūltos*). Bei den 1 1/2 oder 2 Kretikern, war Auflösung der 3 ersten Längen gestattet, aber nur unter denselben Gesetzen, wie in den Versen : als *ŏnĕrĕ sūspīrat, sīgnă rĕpĕtāmus, mēntĕ prāeuĕnior*. Solche Formen haben von 200-400 besonders viele christlichen Schriftsteller angewendet. » (*Fr. Burana*, p. 154.)

ciis semper habuerat, eaeque ipsae caesurae spondicae –́ ⏑ –̀ | –́ ∾, quarum Symmachiana paucissima sunt exempla. Anteuertit autem caesuram illam dicreticam (–́ ⏑ –̀ | –́ ⏑ ∾) quae Ciceroni placuerat, caesura haec, nec ignota quidem Ciceroni nec iniucunda –́ ⏑ | –̀ –́ ⏑ ∾, acceduntque praeterea eiusdem clausulae alia spatia, praeteritis etiam temporibus non insolentia, –́ ⏑ | –̀ ⏑́ ⏑ ∾, Symmacho uere gratissima, siue per dissolutionem ex iis oriuntur quae sunt –́ ⏑ | –̀ –́ ∾, siue (quod equidem teneo et infra ostendam) progrediente tempore epitritos tertios, quos dicunt, accentuum percussionibus imitata sunt. Porro Symmachus ceteras dissolutiones adeo respuit, quas studiosi numerorum scriptores prius frequentauerant, ut mos ille sensim inclinari ac prope uergere in interitum uideatur [1].

Res confirmari potest uetustissimo illo rituum christianorum libro, circa quintum p. Chr. n. saeculum scripto, quem *Leoninum Sacramentarium* uocant. Huius enim libri, in quo colliguntur oratiunculae 1030, clausulas extremas totidem inspexit ac sedulo distinxit D. Mocquereau [2]; quem ego nunc secutus, insignes Leoninas formas ordine auctoritatis dispositas collegi :

1°	– ⏑	{ – – ∾	378 }	404...	{ 36,6 }	0/0
		{ ⏑⏑ – ∾	25 }		{ 2,5 }	39,1
2°	∾ ⏑ ∾	| –́ ⏑ – ∾	239................			23,2
3°	– ⏑	| – ⏑⏑ ∾	183................			17,6
4°	– ⏑	| – – ⏑ ∾	95.............. ..			9,2
			921			89,1

Clausulae quae residuae sunt numero 109 (10,9), uel uocabulis pluribus syllabis quam quattuor concluduntur, uel (id quod maximi momenti est) accentuum percussionibus ita ceteras adsimulant, ut iam ad medii, quem dicunt, aeui ra-

---

[1] Havet, *La prose métrique de Symmaque et les origines du Cursus* (Paris 1892).

[2] *Paléographie musicale de Solesmes*, IV (avril 1894), p. 34; *Musica Sacra* (Mediolanensis), 1893, mense Martio ; — Cf. D. Grospellier, *Revue du Chant grégorien*, V (1897), pp. 103 sqq. — A. Dabin, *Nos « oremus »* (*Rev. du Ch. grég.*, 1895, fév.-juill.); etc.

tionem omnino sint adcommodatae. Itaque primo statim obtutu docemur in clausulis potissimum ea uocabula frequentari, quae sunt trisyllaba uel tetrasyllaba : neque a re alienum uidebitur, si attendero trisyllabas quidem uoces esse cunctas molossi forma insignes, tetrasyllabarum uero diuersam esse rationem pro syllabae paenultimae spatio ; ut, si paenultima producatur, uocabulum sit ditrochaei uel ionici a minori forma praeditum ; sin corripiatur paenultima, idem sit ea serie syllabarum insigne quam uulgo uocamus epitritum tertium, aut ea quae dicitur choriambica. Neque tamen non possumus animaduertere creticum priorem, ut ei iam prius nonnunquam concedebatur, ita nunc purum esse posse uel liberum.

Ex his uero iam capere documenta possumus, quo modo tunc temporis augeri coepta sit accentuum uis et auctoritas in clausulis. Namque primum hac in re dissenserunt alter ab altero uiri docti L. Couture ac D. Mocquereau, hic in Leoninis numeris spatia persecutus, ille percussiones accentuum [1]. Atque in epistulis quidem Leonis Magni res ita se habuit, ut rhetores romani qui postea Gregorianum, quod dicitur, dictandi genus perfecerint, sibi uiderentur Leoninam consuetudinem penitus imitari, quanquam neglectis omnino spatiis, clausulas ad accentuum leges conformare conabantur. Quicquid id est, prisci numeri sic in interitum uergere coeperunt, ut tot e clausulis tamque artificiosis, uix tres quattuorue residuae essent, eaeque adeo quae erant initio prae ceteris adhibitae, postea uero, obsolescente atque hebescente spatiorum sensu, ad certas accentuum percussiones conformatae : increbuisse autem pondus accentuum in graecis clausulis iam inde a saeculo p. Chr. n. quarto, in latinis a quinto, auctor nobis est Gulielmus Meyer, qui cum scriptores multos excussit, tum etiam de Sedulio nostro praeiudicauit [2] ; cuius opinioni deinde assentiens Eduardus Norden, Sedulianas

---

[1] Léonce Couture, *Musica sacra* (*Tolosana*), 1893, n° 2, pp. 9 sqq. — Cf. Havet, *Symmaque*, p. 8 : « Les règles du *cursus* rythmique sont identiques aux plus importantes règles du *cursus* métrique, vues sous un autre jour. »

[2] *Gött. gel. Anzeigen*, I (1893), pp. 5 et 21.

clausulas arbitratus est iam accentibus omnino seruire; atque hoc sane iusto indicio suspicatus est, quanquam non animaduertit apud Sedulium multa ueterum numerorum uestigia remansisse [1].

Ceterum defluxit prisca illa numerorum ratio, quam excepit rhythmicus ille, qui dicitur, cursus, qualem in romanarum Pontificum epistulis seruatum esse comprobauit N. Valois, uir doctissimus deque clausulis bene meritus, cuius opus maximo nobis emolumento fuit, ut sinceram Sedulianae artis naturam intellegere possemus [2].

III

Haec habes, ut nunc sunt, quaecumque uirorum doctorum indagationibus sunt comperta uel inchoata. Neque maioris momenti ullam esse quaestionem fateor, quam eam quae de clausularum spatiis et accentibus in contentione uersatur; namque uix adhuc possumus suspicari qui fiat ut clausulae priscae spatiis conficiantur, nouissimae uero accentibus. Nec enim satis constat qua lege uis clausularum metrica sit momento temporis ui accentuum superata, siue sensim metrorum natura immutata est, siue repente rationem claudendi priscam aliud quoddam prorsusque diuersum genus excepit : atque hoc praecipue de illa inclinatione an-

---

[1] *Die antike Kunstprosa*, p. 950.

[2] N. Valois, *De arte scribendi epistulas*, etc. (Parisiis 1880); — *Bibl. de l'Ecole des Chartes*, XLII (1881), pp. 161-198, 257-272. Qui cursus describitur his uersibus a quodam aeui medii dictatore :

« Dum trisyllabica mediam producere debet,
In praecedenti longam paenultima praebet.
Si tetrasyllabice paenultima longa probatur,
In praecedenti paenultima corripiatur.
Si tetrasyllabice paenultima corripiatur,
In praecedenti paenultima longa probatur. »

Cf. Giry, *Manuel de diplomatique* (Paris 1894), pp. 454-62, etc.; — C. Bellet, *Le cursus et la critique* (1898), pp. 38-43.

quirendum, utrum id temporis spatia fuerint a scriptoribus ignorata, an scienter accentibus cottidianis posthabita. Rem uero fore aliquo modo illustriorem putauimus, si in scriptorem aliquem incidere contingeret, qui cum iis fuisset temporibus quibus ueteres numeri coepti sunt inclinari, spatiorum tamen gnarus sine ullo dubio extitisset. Nobis igitur scriptorem quinti saeculi unum Sedulium placuit seligere, quo nemo tum in claudendo callidior fuit : quippe qui non rhetorica modo, sed poetica etiam arte calluerit, adeoque ipse et rhetor et poeta uersibus et soluta oratione (quod unicum est exemplum) rem eandem illustrauerit, et proprium ipse Paschale Carmen sic explicauerit soluta continuatione uerborum, ut eius oratio haud minus sollers quam uersus esse uideatur ; ob idque singularis ac uelut unica detur occasio rhetorici sermonis cum arte poetica conferendi : quam quidem collationem iam ante me instituerat uir mira eruditione praeclarus G. Boissier [1]. Ille uero cur Sedulii orationem carmine imperitius scriptam esse censuerit, facile conicio, quod uidelicet eius numeros non agnouit. Cauendum enim summo opere est, ne quis Sedulianae prosae uitia, quantumuis iniucunda, in inscitiam deriuet scriptoris, quo nemo pro tempore suo sollertior et accuratior artifex extiterit. Itaque ex Sedulio nostro, aut ego fallor, noui aliquid de clausularum spatiis atque accentibus erui posse confido.

Verum ne haec quidem quaestio dirimi potest, quin prius Sedulianarum clausularum singularum natura, copia, usus excutiatur ; immo tractanda praemittantur quaedam de ratione computandarum syllabarum quibus conficiuntur clausulae — de hiatu, de synaloepha, de encliticis, quae dicuntur, uocabulis, atque de clausularum caesuris : sunt enim res illae maximi momenti, ac propemodum integrae.

Mox alia quaestio obueniet, quae est de auctoritate clausularum, cum ad secernendas interpungendasque comprehensiones, tum in genuina textus forma recuperanda. Huc accedit etiam, quod cum innumerabiles paene Paschalis Carminis codices manuscripti nostram aetatem tulerint, pau-

[1] *Rev. de Phil.*, VI (1882), pp. 28-36.

cissimi tamen supersunt qui Paschale Opvs exhibeant. Iuretus enim princeps Sedulianam prosam a. 1585 edidit, uno codice usus nunc deperdito, qui Petrum Pithoeum doctissimum uirum penes fuerat. Mox nullis codicibus adhibitis excusae sunt editiones nonnullae, Gallandiana in primis (a. 1773) et Areualiana (a. 1794). Tum his temporibus Ludwigius codices saeculi decimi duos eruit, quibus fultus librum Operis Paschalis quintum multa cum laude edidit a. 1880. Deinde Iohanni Huemer qui nouissimae recensionis auctor fuit ac de Seduliana prosa optime meritus est, praesto fuere praeter illos codices codex saeculi noni Parisinus, saeculi undecimi Bruxellensis, saeculi noni fragmentum Sangallense quoddam breuissimum. Contigit uero et nobis in ignotum alium saeculi decimi codicem incidere, quem nunc primum e tenebris in lucem uocamus ; neque a proposito digredi uidebimur, si quaedam suo loco de codice illo euoluemus : nam cum nobis de prosa Seduliana diligenter inquirentibus, liquida quam maxime ipsamet uerba scriptoris esse oportuit, tum etiam emendationes multae quas ui clausularum adducti proponemus, huius codicis auctoritate confirmari poterunt.

Denique restabit ut rem prope illibatam adoriar. Namque mihi Paschale Opvs primum perpendenti hoc ante oculos obuersabatur, Sedulianum scribendi genus esse ornamentis fucatum, et transgressionibus arcessitis et uerborum lusibus et aliis uitiis impeditum : quae uitia cum sane tempori tribuerem, rhetoricum tamen illum sermonem deprauari potuisse suspicabar affectata clausularum copia. Cum uero rei propius accederem, comperi ui clausularum et grammaticam interdum legem summo opere perturbari, totamque ipsam scribendi artem fallacibus et fucosis coloribus auctam plerumque superfluere, et nimio uerborum apparatu languescere ; eritque profecto operae pretium, si quod mihi luce clarius est, hoc satis aperte comprobauero.

CAPVT II

Quaedam praeponuntur enucleanda de ratione dinumerandarum earum syllabarum quibus conficiuntur clausulae ; de clausularum caesuris. de enclisi. de hiatu, de elisione, de synaloepha.

I

Iam in altum acti procellas tempestatesque adgrediamur. Primum igitur anquirendum quot syllabae sint in conficienda clausula computandae : cuius rei ne ueteres quidem certos auctores habemus. Plerique enim eorum fatentur numerum in duobus aut tribus postremis residere pedibus ; lege Ciceronem : Cum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo : adiungo quod minimum sit proximum superiorem, saepe etiam tertium [1]. Quae autem spatiorum copulationes uere pedes dici possint inter illos ambigitur : numeri enim a quibusdam uocantur non pedes, cum plures habeant quam tres syllabas [2], atque iidem tamen in pedum numerum uocant paeones – ⏑ ⏑ ⏑, ⏑ ⏑ ⏑ ⏓, immo dochmium ⏑ – – ⏑ ⏓. Nec ipsi ueteres uim numerorum acuto sensu percepe-

---

[1] Cic. *Or.* 64, 217 ; *De Orat.*, III, 50, 193. — Cf. E. Bornecque, *Quid de structura rhetorica praeceperint*, etc., p. 12.

[2] Cic. *Or.* 54, 218. Cf. Quint, IX, 4, 80 : *Quicquid supra tres syllabas, id est ex pluribus pedibus.*

runt ut de illis numeris interdum decernere non potuerint. Haeret enim ipse Quintilianus in his uerbis *Brute dubitaui* quae quidem male concludere putat sit paeone constent ac spondeo, ueniam autem aliquam habere si dactylo et bacchio. Quid uero si (quod ipse Cicero docet [1]) postrema syllaba breuisne an longa sit ne in uersu quidem refert? Oritur enim inde copulatio ea quae fit dissolutione cretici, –́ ⏑ | ⏑⏑́ –́ ∾ [2] *esse uideatur ; Brute dubitaui ; dignitate superabat ;* quam magno opere Cicero frequentauit, ipseque Quintilianus commendat, quamuis aliis diuisam sectionibus ; namque uel syllabas ternas praecidit –́ ⏑ ⏑́ | ⏑ – ∾ [3] uel binas [–́ ⏑́] | ⏑́ ⏑ | –́ ∾. Atque in his magis etiam Quintilianus titubat, *civis romanus sum,* et *quod hic potest nos possemus :* quibus clausulis uel tribui posse concedit syllabas sex, ut cum antibacchio postremo molossus coniungatur *cīuĭs rōmānūs sŭm*, –́ – –́ | –́ – ∾; aut (quod Quintilianus potius habet), syllabas tantum quattuor, quarum continuatione expleatur numerus : [*ciuis*] *rōmā* | *nūs sum* ; [*quod hic potest*] *nōs pōssēmus* [4]. Quapropter ubi fluctuant ueteres, periculum sane est ne nos non firmius considamus. Neque magni emolumenti esset rem enodare, si in hanc dubitationem adduceremur de eo tantum quod ad incisiones pedum pertinet : namque in exitibus heroicorum uersuum, licet aeque fiat cum dactylo spondeus ex utraque caesura legitima –́ ⏑ | ⏑́ –́ ∾ uel –́ ⏑ ⏑́ | –́ ∾, nemini tamen obscurum esse potest dactylo certe ac spondeo uel trochaeo clausulam heroicam confici debere. Sed in oratione soluta uidemus eam esse clausularum condicionem, ut adhuc ne de postremo quidem pede constet, non mode de proximo priore ac de tertio.

Nescio igitur quibus adducti sint argumentis ii uiri docti [5]

---

[1] Cic. *Or.* 64, 217.

[2] Hoc signo | caesuras uocabulorum declaratas uolui, apicibus arsin et thesin pedum.

[3] Quint. IX, 4, 73, 101, 104.

[4] Quint. IX, 4, 102-103.

[5] In primis E. Mueller, E. Norden, quorum ad sententiam nuperrime accesserunt G. Freund, *De Suetonii Tranquilli usu ac genere dicendi* (Berol. 1902) ; F. Gatschka (*De Apulei sermone numeris adstricto*, 1902).

qui, cum caesuras clausularum flocci fecerint, tamen in uerborum continuationibus internoscere potuerint a quibus syllabis clausulae proficiscerentur. Neque enim (ut exemplum hoc unicum nunc afferam) in ea clausula quae est *uirtute communem*, ulla documenta dederunt, quo modo dispiciant, id quod plurimum interest, repetendusne sit pes prior a syllaba illa *uir* an, quod inter omnes conuenit, pes ab ea quae est *tu* resecato uocabulo ordiatur. Adeoque qui posthabita uocabulorum caesurarumue ratione continuationes tantum spatiorum attendunt, neque quicquam interesse uolunt in illis ⏑́ ⏑ ⏑̄ ⏑́ ⏑ ∾, quomodo clausulam nunc esse dicreticam, nunc prima decurtatam syllaba dochmiacam (⏑ – ⏑̄ ⏑ ∾), nunc duabus prioribus detractis iambicam (⏑́ ⏑̄ | ⏑́ ∾) dirimere potuerint, hoc ego nulla ex parte uideo : atque ipse Wolffius cum sensisset se in magnas salebras incidisse, hanc nouam rogauit legem, neque tamen argumentis satis illustrauit, arses pedum plerumque in accentibus cottidianis fieri [1]. Sed mox ego de caesuris deque accentu disputabo. Nunc rationem syllabarum uideamus.

Quanquam igitur non desunt qui Ciceronis et aliorum numeros perlustrauerint, neminem tamen uideo [2] qui suarum dimensionum legem attulerit. Quibus tamen ut ego fidem habui, ita ipse aliis fidem facere uelim. Neque fortasse culpandus essem, si praetermissis rebus omnibus quae Ciceronis et aliorum sunt, satis haberem Sedulianos dinumerare pedes. Verumtamen metuo ne quid de Sedulio non possim satis firmiter adstruere, nisi rem pro meis uiribus quasi a fonte repetere coner.

Itaque ex coniunctionibus pedum siue uocabulorum quae fuerunt antiquis iucundissimae, has excerpsi cum suis exemplis a Cicerone et a Quintiliano prolatas :

---

[1] J. Wolff, *De clausulis Ciceronianis* (1901), pp. 667-670.

[2] Illud iam scripseram, cum ab Henrico Bornecque prolatum est eruditissimum quoddam commentariolum : *Wie soll man die metrischen Klauseln studiren*, in *Rhein. Mus.* LVIII (1903), pp. 370-381. Neque laetari non possum, cum plane uideam confirmata et argumentis optimis illustrata, ea quae de caesurarum præsertim momento suspicatus eram.

PEDUM NOMINA ET SCHEMATA	I. — PEDES POSTREMI	II. — PEDES SUPERIORES	III. — PEDES SUPERIORES TERTII
Dochmius ∪ — — ∪ ∾	*amicos tenes (Or.* 64, 218).		
Paeon I — ∪ ∪ ∾	[*dixit*] *hoc Cicero* (Q. IX, 4, 106). [*obstat*] *inuidia* (ib.). *si potero* (ibid). *desinite, incipite, comprimite* (De O. III, 47, 183).		
Ion a min. ∪ ∪ — ∾	[*dignitate*] *superabat* (Q. IX, 4, 104). [*Brute*] *dubitaui* (Q. IX, 4, 101).		
Paeon IV ∪ ∪ ∪ ∾	*domuerant, sonipedes* (De O. III, 47, 183) ...... [*mea uel nostra*] *facilitas* (Q. IX, 4, 103).	*uomere pos*[*tridie*] (Q. IX, 4, 107).	
Ditrochaeus — ∪ — ∾	[*filii*] *comprobauit* (Q. IX, 4, 103). [*ausus est*] *confiteri* (Q. IX, 4, 93).		
Creticus — ∪ ∾	*littore* (Q. IX, 4, 104)..... *plurimos* (Q. IX, 4, 107)... *duceres, duceret* (Q. IX, 4, 107–108)............. [*uomere pos*]*tridie* (Q. IX, 4, 107)......	*nixus in* [*littore*] (Q. IX, 4, 104)................ [*ser*] *uare quam* [*plurimos*] (Q. IX, 4, 107)........ *praesidi aut* [*exsequar*] (De O. III, 47, 183). *Africa* [*fuisse*] (Q. IX, 4, 73; 105). *criminis*[*causa*] (Q. IX, 4, 97)	*filii* [*comprobauit*] (Q. IX, 4, 103). *ausus est* [*confiteri*] (Q. IX, 4, 93).
Molossus — — ∾	[*esse*] *pro nobis* (Q. IX, 4, 100).		
Bacchius ∪ — ∾	[*uenenum*] *timeres* (Q. IX, 4, 102)............... [*Africa*] *fuisse* (Q. IX, 4, 73; 105)...............	*uenenum* [*timeres*] (Q. IX, 4, 102). *amicos* [*tenes*]; *iisdem* [*fui*] (Q. IX, 4, 99). 1	
Anapaestus ∪ ∪ ∾	[*leue prae*] *sidiumst* (Q. IX, 4, 110; *Or.* 65, 219)....	*leue prae*[*sidiumst*] (Q. IX, 4, 110). *etiam* [*nota*] (Q. IX, 4, 98).	
Spondaeus — ∾	[*nos pos*]*semus;* [*Roma*]*nus sum* (Q. IX, 4, 102-3)... [*Iuni*]*ani, dubi*[*tabi*] (Q. IX, 4, 104).......... .... [*supe*] *rabat* (Q. IX, 4, 104). [*criminis*] *causa* (Q. IX, 4, 97). [*etiam*] *nota* (Q. IX, 4, 98).	*armis* [*fui*] (Q. IX, 4, 99). [*ut ue*]*nenum* [*timeres*] (Q. IX, 4, 102).	
Trochaeus — ∪	....	*esse* [*pro nobis*] (Q. IX, 4, 100)................ *turpe* [*diceret*] (Q. IX, 4, 107-108).............. *nostra* [*facilitas*] (Q. IX, 4, 111)	*Brute* [*dubi* | *taui*] (Q. IX, 4, 101). 2 [*digni*]*tate*[*supe*|*rabat*] (Q. IX, 4, 104)
Prychichius ∪ ∪	....	[*dubi*]*taui,* [*Iuni*]*ani* (Q. IX, 4, 101). *mea* [*facilitas*] (Q. IX, 4, 111)	
Iambus ∪ —	[*in armis*] *fui* (Q. IX, 4, 99) 1 [*armis*] *fui* (Q. IX, 4, 99).		

1 Auctore Quintiliano fit dochmius ex bacchio uel iambo, uel iambo et cretico (IX, 4, 99). Idem uult esse mollia illa *archipiratae, balneatori, temeritates* (IX, 4, 64; 97).

2 Ea quae sunt — ∪ ∪́ ∪ — ∾ uel duobus pedibus constare, uel tres pedes habere possunt binis syllabis diuisos (⊥ ∪ \| ∪∪́ ⊥ ∾ ; ⊥ ∪́ \| ∪́ ∪́ \| ⊥ ∾).

Haec quidem sunt, quanquam sane imperfecta et manca, attamen firmiter tenenda : neque parum abest ut in iis, non modo clausulae cuiusque lineamenta, uerum etiam praecipuorum generum singulae formae, eaeque absolutae includantur. Exempla etiam omnino sunt animaduersione digna, quod rem satis obscuram aliqua ex parte definitius illustrare possunt.

In illis igitur uerborum copulationibus iam nemo non uidet fere semper esse tot uocabula quot pedes, nisi forte dichoreus et ionicus a minori et dochmius bipartito fiant. Atque pedes saepe uocabulis aequari potuisse, testatur Cicero locum Carbonis oratoris quendam laudans : *O Marce Druse | patrem appello. Haec quidem duo binis pedibus incisim. Dein membratim : tu dicere solebas | sacram esse rempublicam* : *haec item membra ternis* [1]. Ne tamen his a uero abducamur, singula uideamus uocabula qua ratione inter pedes singulos diuidantur.

Iam apparet uocabulum postremum intra clausulam totum esse debere, atque haud raro ipsius pedis nomine designari, praeterquam quod in clausulis quibusdam uidetur aliter fieri. Nam si sit uox extrema disyllaba, iambum uel spondeum uel choreum dicunt esse ueteres : eadem tamen si cum antecedente uocula monosyllaba sic coniungatur ut e duabus una fiat trisyllaba, *pro-nobis*, hoc molossi nomine Quintilianus uoluit appellari. Cetera autem trisyllaba uerba uel creticos conficiunt (*littore*, *plurimos*, *exsequar*, *diceret*) uel bacchios (*timeres*, *fuisse*). — Sunt uero trisyllaba uoculis aucta, ut in tetrasyllaborum ueniant numeros : *hoc-Cicero*, *si-potero*. Tetrasyllabae ipsae uoces in exitibus possunt esse uel paeanicae (*inuidia*, *desinite*, *incipite*, *comprimite*; *facilitas*), uel ditrochaicae uel ionicae a minori. Verumtamen ut dixi, periculum est ne, dum praeceptis priscorum uirorum obsequimur, quibus interdum uocabulum postremum postremo pedi aequari posse uisum est, uera cum falsis confundamus. Nam exempla duo residua sunt tetrasyllaba, quorum extremae tres syllabae in creticum atque in anapaestum ita

---

[1] *Or.* 63, 213.

seiunguntur, ut syllaba prima, quae superest, ad superiorem pedem debeat referri : ◡́◡ | –́◡́◡~; ◡́◡◡ | –́◡́◡~, *lĕuė prāe* ¦ *sĭdĭumst; uŏmĕrĕ pōs* | *trīdĭe* [1]. Sed his de caesuris mox disputabimus : exempla cetera congruunt, ut non modo uox tota postrema sit intra clausulam, uerum ut haud raro ueluti pro pede haberi possit, et pedis nomine a ueteribus rei metricae magistris designetur. Quod autem ad monosyllaba attinet, uel ad ea quae pluribus syllabis constant quam quattuor, neque prolata exempla sufficiunt, ut nunc quidem rem soluamus, neque earum rerum periti quicquam adhuc praeiudicare potuerunt .

Nunc dicam de pede superiore proximo, qui, ut quidem a ueteribus traditum est, si uocem iambicam anteuertat, uel potest esse bisyllabus spondei forma praeditus : *ārmīs fui;* uel trisyllabus, ut spondeus breui superiore augeatur in bacchium : *ĭīsdēm fui*. Sin uero postrema uox spondiaca sit, siue trochaica, eam anteuertat necesse est uox cretica (*crīmĭnīs causa*) uel anapaestica (*ĕtĭām nota*). Tum trisyllabas postremas molossicas Quintilianus docet clausulis conuenire, dum habeant ex quolibet pede ante se breuem. Neque animaduertit (quod tamen, cum illo ipso exemplo, tum etiam usu scriptorum patet) molossicis uocibus non modo breuem unam syllabam anteire debere, uerum etiam plerumque trochaeum, qui ex longa et breui est : *ēssĕ pro-nobis* : ut hoc iisdem omnino sit spatiis, quibus illud *criminis causa*. Verum haud scio an id temporis ullum utriusque clausulae discrimen a scriptoribus habitum sit ; ac dolendum sane, quod Cicero et Quintilianus silentio praeterierint id quod tamen uterque re ipsa frequentauit. Sed exemplis quae de dicretica clausula mox allaturus sum, adducor ut credam inter utramque (spondiacam dico et molossicam) priscis quidem temporibus nihil interfuisse, praeterquam quod erant legitimis caesuris diversae : atque in his idem accidisse puto, quod in heroicis,

---

[1] Quint. IX, 4, 108; 110.

[2] « Il n'y a pas assez d'exemples... dans les auteurs scandés jusqu'ici, pour qu'il soit permis de se hasarder à formuler des règles précises. » Bornecque, *Rev. de Phil.*, XXIII (1899), p. 335. Cf. *Musée Belge*, 1903, p. 3.

quorum exitum dactylo ac spondeo poterat expleri caesura utraque (⏑́ ⏑ | ⏑̆ ⏑́ ∾ uel ⏑́ ⏑ ⏑̆ | ⏑́ ∾)[1].

Pedem uero postremum bacchiacum creticae uoces antecedere solent (*Africā fŭīsse*) uel bacchiacae (*uĕnēnūm* | *tĭmēres*); vel, si bacchius prior aliqua uocula augeatur, concedit Quintilianus eam esse longam ut inde pes superior tertius enascatur trochaeus : (*ūt uĕ* | *nēnūm* | *tĭmēres*) : quae clausula omnino est a ditrochaicis aliena, quanquam et spatiis par et syllabarum numero.

Si uero sit postremus pes creticus, is potest uel choreo anteuerti (*tūrpĕ dīcĕret*) uel etiam iterari (*nīxŭs īn lĭttŏre, prāesĭdi aūt ēxsĕquar*) : sed in illa clausula dicretica caedenda etiam haereo. Nam nunc quidem de re non moniti legere possumus *nīxŭs-īn* | *lĭttŏre* ⏑́ ⏑ ⏑́ | ⏑́ ⏑ ∾. Res autem illustratur hoc exemplo *uŏmĕrĕ pōs* | *trīdĭe*, in quo cum pes postremus a tetrasyllabo uerbo detrahi possit, sequitur ut credamus dicreticis etiam clausulis, quae maxime tritae sunt, duplicem fuisse caesuram, uel post trochaeum priorem uel post priorem creticum : atque incisiones etiam eiusmodi fieri uidemus in clausulis anapaesticis : *lĕuĕ prāe* | *sĭdĭumst*.

Atque eiusdem copulationis hoc exemplo [*ser*]*uārĕ quām plūrĭmos* apparet atque extat nihil interesse totusne pes prior toto uocabulo an uocabuli extrema parte conficiatur; nam ab illo *seruare* detrahenda est syllaba prima, neque in numeros computanda. Cur autem in eo quod est *uŏmĕrĕ pōstrīdĭe* repetatur prior pes a syllaba *uo*, hoc ab ipso Cicerone accepimus, cuius iudicio posterior paeon, non syllabarum numero sed aurium mensura (quod est acrius iudicium et certius) fere par est critico[2]. Dissolui potest etiam trochaeus in tribrachyn, qui par spatio est non syllabis[3], ut probetur haec quoque dissolutio Ciceroni iucunda *gĕrĕrĕ posset*. Neque huius generis dissolutiones ceterae prohibentur : uerumtamen experimur ipsos ueteres summo opere prouidisse, ne iis

---

[1] Cf. DE JONGE, *La Prose métrique en latin*, in *Musée Belge*, VI (1902), p. 265.

[2] *Or.* 64, 215.

[3] *Par choreo qui habet tres breues trochaeus* (*Or.* 64, 217).

intemperantius abuterentur, neue plerumque in singulis clausulis plus quam semel longam dissoluerent.

Cetera nunc adeamus tetrasyllaba paeanica, ditrochaica, dispondiaca, ionica quae uocamus a minori, quae nunc explere sua sponte numeros possunt, nunc superiore tertio pede augeri. Paeanicis igitur uocibus praemitti solent trochaei, adeoque pyrrhichii (*dixit hoc-Cicero*; *mĕa facilitas*). Claudere etiam per se ualet dispondeus, modo tamen dum non uno conficiatur uocabulo, sed praesertim fiat uocabulo uoculis aucto (*nos-possemus*, *Romanus-sum*, *is-contra-nos)* : quae quidem claudendi genera uix toleranda sunt. Ditrochaeus uero quatenus per se ipse possit absoluere numeros, non apparet ex prolatis exemplis, sed usu scriptorum uidimus hoc accidisse quotiens binis inciditur syllabis : *ēssĕ* | *pōsset.* Plerumque uero cum ditrochaeus uno absoluatur uocabulo, summo opere attendendum est ne quis superior tertius pes neglegatur, quem non modo potissime esse creticum uno hoc iam Ciceronis exemplo monemur (*filii comprobauit*), uerum etiam scimus nonnunquam esse posse spondeum. Ionicos autem quos a minori uocamus, uno uidemus fieri uocabulo, ut in iis caedendis fortasse leuiter Quintilianus erret, qui huiusmodi pedes bipartito diuidit, neque pedem superiorem animaduertit : quanquam cum ex eius exemplis, tum Ciceronis more pes ille declaratur : *Brute dubitaui*, *dignitate superabat.* Neque ego in illo quod est *Iuniani* uelim omnino superiorem contemnere pedem, siue anapaestum [*iu*]*dĭcĭī*, siue potius, ut opinor, creticum *iūdĭcī*.

In dinumerandis igitur iis syllabis quibus clausula conficitur, certe totum sumatur necesse est uocabulum extremum, cuius ut syllabarum numerum et spatia agnoueris, fere certo diiudicabis quot syllabis mancum sit, et unone an duobus uel tribus potissime augendum. Constat etiam uocabulum extremum bisyllabum, uel trisyllabum paenultima brevi praeditum pro pede posse totum haberi, nisi accedat uocula proclitica ; in postremis uero molossicis uocibus uel epitriticis uel choriambicis prima saepe syllaba detrahitur, quae priorem creticum uel anapaestum absoluat. Denique eminet superioribus pedibus satis esse, ut seiungatur pars extrema uocabuli ([*ser*]*uare quam plurimos)*; ita tamen ut dissolutio si qua sit ne neglegatur : cuius ui fieri potest ut clausula

interdum superiorem syllabam septimam uel octauam adipiscatur ◡́ ◡ ◡ | ⏗ –́ ◡ ∾, ◡́ ◡ ◡ ⏗ | –́ ◡ – ∾ *(uŏmĕrĕ postridie ; făcĭlĭtās augeatur)*, excedat uero nunquam. Porro ita se res habet ut inter solitas syllabarum copulationes, hae fere semper sponte sua numeros absoluant 3 + 2 uel 2 + 3 uel 3 + 3 uel 2 + 4 *(criminis causa, etiam nota, esse pro-nobis, praesidi aut exequar, nostra facilitas, nixus in-littore, etc.)*, numquam 1 + 3 quae uel una longa syllaba augentur uel duabus breuibus; raro 2 + 2, quae plerumque uel trochaeo, uel tribrachy, uel cretico, uel eius pari paeone augentur ut fiant 2 + 4, 3 + 4, 4 + 4.

Haec est mea regula, quam comperio dinumerationibus uirorum doctorum satis aptam : nam et sollemnissimas omnium clausulas adipiscitur, et alias haud paucas quarum multo minor est usus : si quae uero reliquae supersint quae meam rationem effugiant, has uideo pro dubiis uel insolentibus earum rerum peritis haberi, atque ego ipse maxime dubias esse reor. Vberrimum uero fructum ex hac lege, aut ego fallor, percipere poterit si quis libros numerosa oratione postremis temporibus scriptos attenderit. Namque paulatim obsoleuerunt numeri quidam, iique praesertim qui binis syllabis claudebant –́ ◡́ | –́ ∾, –́ ⏗ | ◡́ ∾; et dissolutiones uitari coeptae sunt (quae in dimetiendis clausulis summum habent erroris periculum), et pauciores in dies eminuere clausulae, ut demum tres quattuorue principales omnino ceteras excluderent, eaeque singulae (ut mos fuit Sedulio nostro) ad unum fere exemplar adductae, cum iisdem uocabulorum caesuris, tum etiam ui ac pondere accentuum.

II

Ex iis quae diximus fortasse emergit quantum habeat momentum uox clausulae postrema, ut et natura et mensura superiorum pedum praeiudicari possit. Videmus autem studiosos clausularum scriptores non modo certis spatiorum continuationibus dedisse operam, uerum etiam elaborauisse ut caesuris uerborum attenderent : auctor nobis est Quinti-

lianus qui et dispondeum esse mauult (praue, ut equidem opinor) tribus uerbis distinctum *is-contra-nos*, et molle arbitratur illud *archipiratae*, *balneatores*, cum hoc laudet eiusdem mensurae *criminis causa* uel *esse pro-nobis*, et clausulas totas una uoce conformatas uitio uertit, quales sunt *facilitates temeritates*. Tantum igitur prodest postremum uocabulum in agnoscendis caesuris, quantum uidimus in ipsa secernenda clausula. Quamobrem tutam uiam aperuerunt uiri docti praesertim Galli quos inter eminent L. Havet ac H. Bornecque ; qui quanquam clausularum dinumerationes satis implicatas non effugerunt, hoc tamen profecerunt ut caesurarum rationem animaduerterent, in eamque animos doctorum uirorum conuerterent. Namque cum hoc eis fortasse uitio uerti possit, quod ex eodem fonte manantes clausularum formas alias alio distrahunt, uelut quae sunt – ⏑ – – ∼ (*archipiratae*, *esse pro nobis*, *criminis causa*), tamen effecerunt ut earum caesurarum usus et natura ante oculos omnium obuersaretur. Etenim ex tabulis quas uterque perfecit, concludendum est, illi spatiorum continuationi non conuenire posse alia claudendi quaedam genera, ut ea quae essent –́ | ⏑ –̀ –́ | ∼, uel –́ ⏑ –̀ –́ | ∼, uel –́ ⏑ | –̀ –́ | ∼, etc. Quanti autem momenti sit quaestio, uidit nuper qui Ciceronianas clausulas adiit Iulius Wolff, qui postquam in distribuendis clausulis alium adhibuit ordinem, rem tamen hac etiam nostra ratione retractauit [1].

Itaque auctore Wolffio, quod quidem ad Ciceronem attinet, primum docemur ditrochaeum toto esse uocabulo postremo circumscriptum 47es in centenis [2], uel duobus uocabulis quorum prius monosyllabum cum posteriore trisyllabo per enclisin coniungitur fere 32es in centenis. Atque per Hauetum et Bornecquium constat eadem pro portione praeponi ditrochaeo creticum, uel alium eiusdem spatii pedem : quarum caesurarum si summam collegeris, eas obuenisse comperies fere in centenis 80es. Residua uero est ditrochaei eiusdem alia caesura minus trita (– ⏑ | – ∼, 17es in centenis) in qua cum trochaei uideantur esse duo, absoluti sunt numeri neque ullo superiore pede augendi. Atque idem omnino de dispondeo

---

[1] *De claus. Ciceronianis*, pp. 599-601.

[2] *Ibid.*, p. 600.

dicendum, qui uno uocabulo toto uel duobus per enclisin consociatis efficitur in centenis 79es.

Deinde ad clausulam illam accedamus spondiacam quae est –́ ⏑ –̀ –́ ∼, habet autem (ut dixi) caesuras sollemnes duas, quarum altera longe frequentior post priorem fit trochaeum ut extremum sit uerbum molossicum unum, siue uocabula per enclisin coniuncta duo *mōrtĕ dāmnābo* 50es in centenis; *ēssĕ prŏ-nōbĭs* 10es; altera haud rara, post priorem creticum (*criminis causa*, in centenis fere 10es). Adde clausulam totam uno uocabulo conformatam pentasyllabo 5es in centenis; caesurae ceterae, multum inter se diuersae atque, ut equidem credo, satis dubiae, cum haud dignae sunt quae numerentur, tum etiam in reprehensionem cadere possunt (cf. p. 54 sq.): atque in summa res ita se habet, ut eiusdem clausulae caesura utraque accidat in centenis fere 80es.

Tum deuertimur ad eam syllabarum continuationem quae est –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ∼ siue dicreticam; quae, si quidem Wolffio credas, 33es in centenis post trochaeum priorem caeditur, ut postrema uox eum epitritum perficiat quem uocamus tertium. Attende uocem illam postremam, haud raro trisyllabam, superiore quadam monosyllaba uocula expleri, 12es in centenis; caeditur autem clausula 16es in centenis post priorem creticum. Sequitur ut in summa fiant sollemnes caesurae 61es in centenis. Atque mihi uidetur illa proportio eo magis augenda, quod ceterae caedendi rationes a Wolffio prolatae ueniunt in dubium. Has enim accipe: –́ | ⏑ –̀ –́ | ⏑ ∼; –́ ⏑ –̀ –́ | ⏑ ∼; –́ ⏑ | –̀ –́ | ⏑ ∼; quae cum paucissimae sunt, tum etiam aliis sunt adscribendae numeris, quos ego Haueti ac Bornecquii uestigiis ingrediens huiusmodi esse teneo –́ –̀ | ⏑ ∼, trochaeo priore in dinumerationem non uocato; atque iam comprobasse mihi uideor quattuor syllabis absolui posse hos numeros.

Dolendum uero quod Wolffius rem non peruestigauerit: sed in eo quod ad nostrum propositum pertinet multum profecit. Cum enim Wolffiana dinumeratione posita iam teneamus, Ciceronem iis quas descripsimus caesuris morigeratum esse in centenis circiter 72es, tamen plerumque Wolffius sic cum falsis uera confudit, ut haec summa multo magis sit amplificanda. Quamobrem sequitur ut credamus, iam inde a priscis temporibus illas caesuras adeo fuisse tritas, ut etiam

paene pro lege rata ualerent. De ceteris autem clausulis si quis certior esse uoluerit, schedam meam adeat p. 8, ubi rem quasi anteoccupans, non modo clausulas, uerum etiam caesuras clausularum sollemnissimas auctoritatis ac pretii ordine disposui.

Denique cum progrediente tempore tot inter tantaque pericula et discrimina clausulae uersarentur, hoc tamen notatione dignum est, sollemnissimas cuiusque caesuras easdem summa semper auctoritate floruisse, praeterquam quod labentibus temporibus illa auctoritas adeo créuit, ut paulatim caesurae ceterae omnino deciderent, utque magis ac magis uocabula singula cum singulis pedibus confunderentur : quod cum apud Symmachum et Leonem iam plerumque deprehendimus, tum etiam omnino apud Sedulium nostrum fieri uidemus.

Caesuras uero fuisse maximi momenti in clausulis, maxime patet per enclisin ac proclisin, cuius ui monosyllabae uoculae proximis uocabulis ita consociantur, ut ex duabus uox unica quasi coagmentata fiat. Huius enim coagmentationis uis tanta est, ut uox monosyllaba proprium accentum etiam exuat. Neque tamen in Ciceroniano dicendi genere rem eo deuenisse puto, ut monosyllabarum accentus in extrema clausularum parte deleretur. Sed ex illa Ciceronianarum caesurarum ratione sollemni, fluxit paulatim ea consuetudo, ut monosyllabae clausularum uoculae proximis uocibus semper adhaererent, tumque accentum penitus potuerint amittere, cum in clausulis accentuum ratio coepta est maior haberi. Ea igitur quae de Cicerone prompturus sum, sic habebis, ut quasi lineamenta prima atque initia neque sane obscura teneas earum caesurarum, quas et magis etiam in deliciis habuere qui Ciceronem proxime secuti sunt, et postremi linguae latinae scriptores quasi unice usurpauerunt : utque etiam ne mireris, si apud Sedulium iam prope innumera ea reperire contigerit, quae legitima iam Ciceroni uidebantur. Postquam igitur apud Ciceronem, qui artis claudendi inter latinos auctor magisterque unus omnium tutissimus est, enclisis principia inesse monstrauero, Sedulianam rationem habebis sic apertam, ut non necesse fuerit multum in ea commorari.

Libet igitur Ciceronis paucas caesuras reuisere quasdam, iam a Wolffio nuperrime perlustratas, in *Oratoris* uidelicet

capitulis I-L. Atque primum eam coniunctionem attendamus quae est –́ ⏑́ –̀ –́ ~ siue ⏑́⏑ ⏑ –̀ –́ ~[1]. Exempla nobis occurunt satis multa, quorum in postremo pede sine ullo dubio enclisi docemur coniunctionem inesse molossicam : VIII 26 [summissus] *a-primo ;* XVIII 59 [*usus*] *in-nobis*, [*supersit*] *in-gestu* ; XXI 60 [*delectet*] *ut-flectat ;* XXVII 93 [*uerba*] *prouerbis* ; XL 137 [*diuidat*] *in-partes;* XLI 140 [*adspirare*] *non-possunt.* Res autem in soluta prioris pedis longa declaratur apertius : XXXIV 121 [*uĕnĭĕt*] *ad-causas*; [*faciat*] *autuerba ;* XLII 144 [*facere*] *cur-nolis.* Haec tamen magis incerta sunt magisque rara : XXX 108 [*muta*] *sunt nostra,* XXXIII 117 *definire rem possit*, L 169 [*illa*] *quae desunt.* Exempla uero reliqua paucissima alteram caesuram certe ferunt, ut XIII 55 [*iunctus-est*] *uultus* XLIX 163, *illuminatus-est uersus.* Sequitur ut credamus iam a Ciceronianis temporibus ex illis caesuris plures post priorem fieri trochaeum quam post creticum, atque encliticas uoculas ad postremum uerbum potius esse referendas quae sunt *in, a, ut, cur, pro.* Neque aliter res se habet apud Sedulium, nisi quod nunquam prior cretici longa dissoluitur, et rariora sunt exempla caesurae alterius uel dubia.

Item in iis etiam claudendi formis quae sunt –́ ⏑ –̀ –́ ⏑ ~, ⏑́⏑ ⏑ –̀ –́ ⏑ ~, –́ ⏑ –̀ ⏑́ ⏑ ~, ⏑́⏑ ⏑ –̀ ⏑́ ⏑́ ~, etc. Cicero potius duxit post trochaeum quam post creticum caedere, atque monosyllabas uoculas cum pede postremo consociare. Cuius rei exempla proferam ex eodem fonte satis multa : IX 32 [*honoratus*] *et-nobilis*, X 34 [*hăbĭtŭs*] *aut-dulcior*, XI 37 [*complectar*] *hoc-tempore*, XV 47 [*expendet*] *et-seliget*, XVIII 58 [*suauitatis*] *in-uocibus*, XXXIII 117 [*partietur*] *ac-diuidet*, XXXV 119, [*dicat*] *aut-quo-modo*, [*dicet*] *et sentiet*, XXXVIII 182 [*me ipse*] *non-teneam*, XLIX 163 [*sumta*] *de-medio.* Vnum uero dubium exemplum uix repperi, IX 32 *esse se cuperet*, atque alia quaedam certe duobus creticis uerbis confecta, ut XIV 45 *quale-sit* [*quaeritur*]. In hac igitur continuatione syllabarum pertinere uidemus ad postremum uocabulum eas uoculas quae sunt *et, aut, ac, hoc, in, non, uel, de.*

---

[1] Hauetus illas aucupans clausulas, *de Oratore* totos excussit libros, in *Rev. de Phil.*, XVII (1893), p. 144.

Deinde ad ditrochaeum et ad dispondeum ueniamus, quos nunc absolutis nunc imperfectis numeris adhibitos reperimus : v 18 *non-uidebat*, 20 *et-parati* ; IX 28 [*attice*] *non-falluntur*, 29 [*insolens*] *aut-ineptum* ; XIV 45 *sit-probatum*, XV 49 [*opprimet*] *si-licebit;* XVI 50 [*artis est*] *et-laboris* ; XXVI 90 [*dicax fuit*] *quam-facetus;* XXXI 112 *non-magistri;* XLIX 165, [*numerum*] *sed-seculum*. — Incerta exempla, siue dubia siue aliter caesa, nulla teneo. Verum inter ea legitima quae protuli, sunt quae priore augeantur cretico, eoque etiam ui enclisis mirum in modum conformato : [*artis-est*] *et laboris*, [*quale-sit*] *suspicatur*, *quam di*[*cax-fuit*] *quam-facetus*.

Porro in Sedulianis libris haec omnia sunt uel horum simillima, non modo non pauca uerum etiam innumera. Exempla pauca seligam, ad tres illas clausulas sollemnissimas pertinentia, quorum si quis maiorem copiam uelit, adeat quas modo sum propposituras tabulas pp 50-52.

Primum igitur clausulam uideamus spondiacam, quae est ´ ⏑ ´ ´ ∼. II v, 201 7 [1] *probaris et-uirgo*, III I, 232 9 *mutauit et-nomen ;* II XIV, 244 15 *doctor et-dicit ;* V XXXVIII, 302 19 *euidenter et-dixit* ; II XII, 212 21 *remeauit in-fontem* ; XIII, 214 10 *uideatur in-patre* ; XVII, 228 5 *generantur in-mundo* ; V XVII, 286 22 *manifestabatur in-Christo* ; II XVII, 222 8 *uerba sic-inquit*, 225 13 *propheta quid-dicat*, 229 15 *latenter ad-portam* ; IV XIX, 269 14 *reuérteretur ad-culpam* ; V XXXVIII, 302 15 *remeauit ad-caelum* ; VIII, 279 19 *pollicentur ut-peccent ;* XVIII, 289 14 *ubique sit-praesens*. Atque illa quidem caesura sollemni diuiduntur ; haec rara : II IV, 201 22 *passus-est membra* ; XV, 219 1 *euectus-est astris* ; V VI, 277 16 *deductus-est aedes*.

Deinceps clausulam adgrediamur quae est dicretica, neque tamen uocibus creticis conformari solet sed plerumque fit ex aliquo exitu uocis trochaico et uoce altera insequente quae epitritum conficit tertium : I v, 182 8 *mutauit ut-parceret* ; II I, 197 8 *crudelis et-noxia* ; VIII, 208 15 *esse non-desinit* ; III X, 240 5 *perdebatur et-sanguine*, 13 *corde non-nascitur* ; IV XIV, 264 12 *dixit, haec-ammonens* ; V III, 276 9

---

[1] Primo numero significantur libri, secundo capita ; tertius et quartus Huemerianae editionis paginas designant et lineas.

deperiret a-saeculo ; x, 281 15 *ille, non-crimine*, etc. Forma uero quae fit ex duabus uocibus creticis tam insolens est tamque ingrata Sedulio, ut uitiosa fere esse uideatur, praeter usum eum de quo infra disputabo, pp. 89-90.

Formae etiam ditrochaicae plurima sunt exempla Seduliana quae uim enclisis significent. Haec accipe, quae, ut mos erat Sedulio, creticos semper pedes uel creticorum similes excipiunt : I i, 177 3 *gratiae non-tacere* ; II i, 197 3 *fecerat mox-amaram* ; xiii, 213 20 *amaritudinem non-habentem* ; V viii, 279 2 [*ter*]*agnitus, ter-negatus ;* xvii, 286 18 [*graecis*] *litteris ac-latinis*; xxi, 291 13 *manzeres sunt-uocati*; xxxv, 300 16 *cernitur non-carere*. Illis exemplis haec coniungenda sunt, quibus comperimus eandem esse condicionem uocularum in priore cretico : III vi, 236 9 *nisa-sunt conditorem;* II iv, 200 5 *conceptus-est et-creatus* ; II vi, 205 9 *natus-est ad-salutem* ; xvii, 229 19 *fugiendus-est qui-trucidat*; III xx, 248 6 *factus-est mox-salutis* ; IV xi, 262 14 *erepta-sit iam-carina*, etc.

Rem igitur ego mihi uideor sic inchoasse, ut quod Sedulius summo opere ac uelut unice frequentauit, hoc iam a Ciceronianis temporibus et legitimum et sane tritum fuisse comprobarem[1], utque iam, summa perspecta rerum, ne quisquam hoc in genere rationem computandi meam mihi uitio uertat. Quae uero supersunt fortasse dicenda de caesuris quibusdam singularibus, infra locum habebunt, pp. 79-80, ubi de accentu edisseram.

III

Nunc dicendum de hiatu, de elisione, deque synaloepha. Elisio igitur fit cum uocales duae concurrentes conglutinantur : quod quidem lingua latina Ciceronis aetate sic obseruabat, nemo ut tam rusticus esset, qui uocales nollet coniun-

---

[1] « La structure de la phrase est absolument celle que Cicéron a le premier mise en honneur et qui, après lui, s'est maintenue dans la prose oratoire par Quintilien, Pline, Fronton, saint Cyprien, Arnobe et les Panégyristes. » (R. Pichon, *Lactance*, p. 324). Hoc de Sedulio liceat dicere, quod de Lactantio comprobauit R. Pichon.

gere[1]. Verum enimuero satis nota sunt poetarum etiam optimorum exempla, quae certis condicionibus hiatum patiantur : atque de soluta oratione, quae quidem aurea, quam dicunt, aetate floruit, haec Georgius Wuest uult monita[2] : Sane quidem nemo harebit in coniungenda uocali breui exeunte cum sequenti longa uel breui. Difficiliore autem modo longa uocalis diphtungusque cum sequenti longa uel adeo breui coit; atque maximam denique res offensionem habet, si monosyllabum antecedit uocalem insequentem... Sed cum in clausulis prosae orationis uix ac ne uix quidem scire possimus arsine an thesi orator fungi uoluerit monosyllabum quoduis, cumque Cicero, id quod summi est momenti, neglectam cuiuslibet uocalis ante proximi uerbi uocalem elisionem exceptionis loco habeat, nobis nihil relinquitur, nisi ut ubique uocalium extremarum ui metrica neglecta solius numeremus uocalis proximi uerbi mensuram[3]. Consentiunt omnes qui Ciceronianas peruestigauere clausulas; lege Bornecquium, Hauetum, ipsumque Wolffium[4], qui elisionem praecipue litterae *m* ita certis argumentis confirmare sibi uisus est, ut hanc quoque solutam esse quaestionem censeat. Neque aliter esse de Plinio Floro Minucio Felice uisum est Henrico Bornecque[5]; atque res etiam his verbis Quintiliani fere aequalis comprobatur : Coeuntes litterae, quae συναλοιφαί dicuntur, etiam leniorem faciunt orationem, quam si omnia uerba suo fine cludantur[6]. Neque tamen elisione penitus contunditur uocalis prioris sonus, sed mitigatur tantum ut

---

[1] *Or.* XLIV, 150.

[2] G. Wuest, *De clausula rhethorica*, etc., pp. 19-20.

[3] Wuest, *De claus. rhet.*, p. 19.

[4] Bornecque, *La prose métr.*, p. 5; Havet, *Rev. de Phil.*, XVII (1903), p. 145; Wolff, *De claus. Cicer.*, p. 652.

[5] *Rev. de Phil.*, XXIV (1900), p. 206; *Musée Belge* (1903), pp. 1-sqq., 247-sqq. Hunc tamen impugnat acerrime A. Kirchhoff, in *N. Jahrb. f. Phil.* Suppl., XXVIII (1903), *De Ap. claus. comp.*, p. 2 : « Non solum tota indole uerum etiam in singulis Bornecque naufragium fecisse mihi uidetur ». — Equidem fateor hanc questionem totam, quod quidem ad Ciceronem aliosque attinet, esse de integro repetendam.

[6] Cf. Quint. IX, 4, 36.

quaedam nat uocalium concurrentium lubrica lenisque collisio [1].

Labente uero temporum cursu id fieri potuit, quod in uersibus poetarum quorumdam christianorum comperit accidisse L. Mueller [2], litteram *m* in extrema dictione omissam ferme esse temporibus ultimis, sed ut breuis maneret uocalis antecedens : insigne est enim inter cetera allatum illud exemplum Corippi (*Laud. Iust.* III, 369) *dĕŭs ōmnĭŭm hīc ēst.* Atque ultimis temporibus ceteras legi posse interdum sine elisione litteras, ipsius nostri Sedulii uersibus haud paucis apparet : C. P. I 324 (*Huem.* 39) *Sic ait ipse docens : ĕgŏ īn Patre et Pater in me.* Itemque legimus in illa suscriptione Asterii (*Huem.* 307) *cuius ope et curā* | *ēdita sunt populis.* Et haec quidem apud ornatos uersuum orationisque solutae scriptores ; uerum in plebeiis carminibus quorum reliquiae nostram aetatem tulerunt, hiatum fuisse omni tempore permissum satis constat : nam et rudi etiamtum ciuitate hiatus plerumque in saturnio carmine ac modis popularibus reperitur [3], et interdum in illis militum triumphalibus uersibus : *Tántum uíni német* | *hábet* .., et legitimus omnino in Commodiano carmine : lege uersum praefationis primum : *Praefatio nostra uiam* | *erranti demonstrat.* In Sedulianis igitur peruestigandis clausulis cauendum, ne temere coeuntes litteras elidamus.

Proinde ipsos adgrediamur Sedulianos hiatus, eosque primum peruideamus qui uersantur extra clausulas. Namque PASCHALE OPVS perlegenti statim patet, Sedulium summo opere elaborauisse ut hiulcos sonos effugeret. Is enim praetermissis uocalibus, quae quamuis proximae, tamen uel interpunctis uel sensus intermissione quadam uel clausularum exitibus dirimuntur, Sedulius fere nunquam uocales patitur concurrere, nisi alterutrum uocabulum sit in sermone quasi tritum, atque ita necessarium ut ullo modo uitari non possit : quod plerumque fit in iis quae sunt aduerbia,

---

[1] CORSSEN, *Ausspr. Vokalism. und Beton. der latein. Sprache* (Leipzig 1870[2]) Vol. II, p. 772.

[2] L. MUELLER, *De re metr.*, p. 306.

[3] *Ibid.*

relatiua pronomina, praepositiones, coniunctiones, uerbum illud *esse*, atque adeo tum praesertim cum uocabulum prius in *m* desinit : II vi, 202 6 *terram in* ; IV i, 256 3 *etenim et* ; II vi, 202 12 *enim et* (cf. viii, 207 5) ; V ix, 281 1 *enim inter* ; II viii, 209 4 *enim a* ; xiii, 214 5 *nam et* (cf. 214 10 ; xvii, 225 17 ; V viii, 279 20, etc.) ; II vii, 204 1 *tetram et* ; 15 *cum ergo* ; x, 211 2 *cum insontium* ; vii, 205 8 *autem insidiaris* ; xi, 211 8 *iam aetate* ; xii, 212 14 *nam ut* ; xiv, 215 20 *eum ut* ; xvii, 222 4 *quemadmodum ipse* ; 6 *nam in*, 9 *suam in*, 11 *enim ulla*, 223 16 *animam in*, 225 13 *etiam idem*, 229 9 *cum eos* ; III ii, 233 7 *quam imperiosa* ; viii, 238 13 *quem ut* ; xi, 241 14 *quidem ad* ; xv, 245 3 *alienam in* ; xviii, 246 10 *populum in* ; xxiv, 251 3 *quorum alter* ; IV xix, 269 17 *quam inaniter* ; V i, 274 2 *quidam enim*, 8 *Christum aut* ; III, 276 7 *confestim ut* ; ix, 281 2 *cum a* ; IV viii, 261 8 *quem in* ; xv, 265 10 *quam eius* ; xvi, 266 18 *quicquam esse* ; II vi, 202 1 *credendum est* ; xiii, 214 8 *uerbum est* ; xiv, 215 1 *filium esse* ; xvii, 222 5 *clarificatum esse*, 229 18 *bonum esse*, 230 12 *semitam esse* ; III xxiv, 251 1 *initium esse* ; xi, 241 5 *uentum erat* ; V i, 273 11 *honorificandum esse*, etc.

Idem fere dicendum de iis hiatibus multo rarioribus qui exeunte uocali *e*, uel *i*, uel *o* obueniunt : II viii, 207 12 *se autem* ; xiii, 213 10 *de aqua* ; xvii, 225 5 *die ac nocte* ; 226 6 *neque enim*, 229 5 *usque ad* ; III iii, 234 3 *namque ut* ; v, 235 1 *ne in* ; vii, 237 10 *necesse est* ; IV xiv, 265 2 *se in* ; V viii, 279 1 *usque in* ; II vi, 202 2 *qui Adam* ; vii, 205 11 *qui unctus* ; viii, 209 4 *Deo est* ; xiv, 214 20 *nemo enim* ; 216 12 *quo audito* ; xvii, 222 10 *ergo et* (cf. 224 4) ; V viii, 280 15 *quo apud*, etc. De spiritu haereo, cuius uix unum mihi occurrit exemplum : II xvii, 221 18 *nouo homine*. Aegre uero toleratur hians diphtongus *ae* (II xiii, 214 1 *quae in* ; alia paucissima) ; uel *a* uocalis (I xxvii, 192 10 *ita enim*) ; nisi praesertim cum uerbo illi *esse* antecedit : I xvii, 187 6 *o quanta est* ; xxix, 194 14 *uana est* ; II xiv, 216 9 *data est* ; xvii, 227 9 *ponenda est*. Nullo modo uero hiare posse uidetur ea uocalis quae est *u*.

Eminet igitur atque extat Sedulio sonos hiulcos fuisse plerumque iniucundos [1] : huc accedit ut interdum sincera

[1] Kirchhoff itidem comprobauit « Apuleium dedita opera et mirabili

uerborum collocatio uideatur inmutari, ne quis uocalium concursus durior fiat : haec exempla uide. Ep. ad Mac. 173 8 *tui pectoris adipisci iudicium*, i. q. *pectoris tui adipisci*...; I ii, 179 17 *repentina surgentis inundatione diluuii*, i. q. *repentina inundatione*; II iv, 200 13 *humanae susceperit incarnationis*, i. q. *humanae incarnationis*; V xxiii, 292 20-21, *impia nunc ubi... uictoria, nunc ubi*; i. q. *impia ubi nunc*; *uictoria, ubi nunc*; III xi, 241 5 *uentum erat interea miserandae domus ad tecta lugentia*, i. q. *interea ad miserandae d*...; V xxxiv, 300 9 *tale genus ergo miraculi*, i. q. *tale ergo genus*; V viii, 279 8, *apostolicis igitur eruditi debemus exemplis*, i. q. *eruditi exemplis debemus*; etc [1].

Verum hoc maxima notatione dignum est, Sedulium ab hiulcis sonis summo opere auersatum esse intra clausulas : namque e clausulis prope innumeris hae uix in toto Paschali opere reperiuntur: II x, 211 4 *cērtŭm ēst, non perisse*; II xiv, 216 23 *deiēctŭm adoraret*; II viii, 209 2 *ēssĕ ēst non fuisse*; IV ix, 261 16 *patuērĕ īmpulsae*; II xvii, 226 9 *īmbŭī institutis;* V xxxv, 300 17 *certŭm ēst ac renasci*. Cetera tamen selegi exempla septem, quae uel fortasse non claudunt, uel lectionibus codicum refelluntur : I xxiv, 194 14 *uana est coram*

---

studio concursiones uocalium in clausulis fugisse » *N. Jahrb. f. Phil. Suppl.* XXVIII (1903), p. 20.

[1] Quamobrem (quandoquidem mihi datur occasio) libuit in suspicione ponere quosdam Sedulianos locos, quorum uocales male coeunt : quos emendandos esse censeo, quotiens inter uarias codicum lectiones medela parata praesto est. Equidem cum Areualianam primum editionem legerem, mihi accidit ut de quibusdam locis hiantibus dubitarem, quos postea in Huemeriana editione emendatos uidi : I ii, 179 18 *inundatione diluuii* (Areu. *diluuii inundatione*); V xviii, 240 6 *infernas intrauit* (Areu. *inferni intrauit*); II xvii, 225 11 *uescentis adimpleat* (Areu. *uescendum adimpleat*; I xx, 188 19 *rerum omnium conditori* (Areu. *rerum conditori omnium*); IV xvii, 267 16 *impetras quod optaris* (Areu. *impetras quae optaris*), etc. Quibus ego nixus exemplis haec emendanda propono : I xxviii, 193 3 *fides uera et* (*uera fides* RHI ac meus F); II ii, 198 14 *filiorum obstupere* (*stupere* F); I v, 182 3 *Deo obtulit* (*obtulit Deo* H I ac meus F); III vi, 236 10 *iniuriam ingereret* (*gereret* PRB, *generent* H, *ingereret* IF); I xx, 188 12 *humana effari* (*fari* R H I); V xii, 284 22 *genus passim inuaserant* (*passim genus* F); V xxvi, 295 3 *interea illud triste post sabbatum coeperat* (*interea coeperat i. t. p. s.* HIF); V xxviii, 296 21 *nocturni operis tempore* (*nocturni soporis t.* F); V xxxviii, 303 1 *laetissimi intuentes* (*laetis uultibus intuentes* I), etc.

Deo; II xiii, 214 18 *conueniēntĭaē uērbŭm ēst*; III ix, 239 17 [*confer*] *ŏpēm et sŭbueni*; IV xvii, 267 17 *dēbĭtŭm ĕxĭgās;* II viii, 208 22 *discernentem et hominem* (*discernentis* F manu 2); III xxi, 248 11 *uitio anxiata* (*sauciata* libri); III xxv, 251 18 *inimica luci et caeca* (fortasse *lucis*). Exempla uero priora sex ita sensum absoluunt, ut pro clausulis certe haberi possint et debeant : neque mirari non possumus ex illis clausulis tres egregia praestare forma : *certŭm est, non perisse; certŭm est, ac renasci; esse est non fuisse;* ut sine ullo dubio teneamus eas a Sedulio dedita opera esse arcessitas. Atque sequitur ut credamus Sedulium, quam maxime potuit, effecisse ne uocales concurrerent, cum aliis in partibus orationis, tum etiam in clausulis; quotiens uero non potuit abstinere quin concursionibus uocalium uteretur, prouidisse ut uocales ne omnino coniungeret, sed articulatim singulas appellari potius haberet.

Quapropter monemur nec usurpatum esse a Sedulio aphaereseos genus illud, quod quidam synaloephae nomine insignitum uoluerunt : *certast, uanast, datast, ponendast,* sed illas etiam uocales esse aperte ac leniter distinguendas. Atque plurimis exemplis adducor ut credam duabus pariter syllabis enuntianda esse ea quae sunt : II viii, 206 9 *locŭtŭs ēst dicens*; V vi, 277 16 *deductus-est aedes*; II xiv, 216 18 *locutus-est miser*, etc.; — II iv, 200 5 *conceptus-est et-creatus*; vii, 205 9 *natus-est ad-salutem*; xvii, 229 19 *fugiendus-est qui-trucidat*; III xx, 248 6 *factus-est mox-salutis*; — II xiv, 217 23 *domus-est cor-malignum*; II viii, 208 3 *natus-est rex-Iudaeis;* III i, 232 3 *uisus-est sed-pauisse*; V xviii, 288 11 *liberatus-est a-peccato*; III xiii, 242 14 *oblatus-est imbecillis*; V i, 273 10 *locutus-est et-potenter*; x, 282 9 *correptus-est in-furorem*. Quae tam multa tamque certa mihi tollunt omnino dubium de ceteris quae sunt : III xxv, 251 12 *superesse dicendus-est;* IV xix, 269 7 *purus inuentus-est*, V xii, 284 19 *uelamen indutus-est*.

CAPVT III

Primo prospectu praeiudicatur Sedulianarum clausularum genus, usus, copia : deinde Sedulianae clausulae cuiusque generis singulae, quotquot exstant, dinumerantur.

I

Priusquam ordine singula copiosius exsequamur, res summatim atque obtutu quasi uniuerso prospicienda est. Primum igitur eam Epistulam quae Paschali Operi praemittitur licebit transcribere, quam statim ut leges, siquidem et syllabarum spatiis adhibeas mentem, et accentuum percussionibus diligenter auditum admoueas, senties numeris adeo redundare, iisque geminatis ac uelut uno tenore fluentibus, ut prope ad fastidium ictibus crebris aures obtundantur.

*Praecepisti reue*rende mi domine, *paschalis* carminis textum *quod officium purae deuotionis sim*pliciter exsecutus *uobis* obtuli perlegendum, *in rhetoricum me trans*ferre sermonem. *Vtrum quod placuerit ideo gemi*nari uolueris, *an quod offenderit, ut potius arbitror, stilo censueris liberi*ore describi : *sub dubio uideor fluctu*are iudicio. *Sanctis tamen iussi*onibus non resultans *iniunctam sus*cepi prouinciam, *et procellosis adhuc imbribus concussae ratis* uela madentia *tumentis pelagi cursus fatigati*oni commisi *per emensos cursus reuo*luti discriminis *et Cycladas ingentes quas praecipitanti formidine celerius* ante transiueram, *longa maris*

circuitione discurrens, ut illos portus et litora quae dudum praetereundo lustraui, diligentius opera nunc uiserem tarditatis. Siquidem multa pro metricae necessitatis angustia priori commentario nequaquam uidentur inserta, quae postmodum linguae resolutio magis-est adsecuta. Dederimus hinc aliquam forsitan obtrectatoribus uiam, dicentque nonnulli fidem translationis esse corruptam, quia certa uidelicet sunt in oratione quae non habentur in carmine. Si qui tamen istud obiciant, faciunt ne intellegendo ut nihil intellegant[1]. Nam si aut saeculares litteras adsecuti aut diuinis uidebuntur libris instructi, debent exempla ueterum recensere nec similia lacerare conentur iniuste. Cognoscant Hermogenianum doctissimum iurislatorem, tres editiones sui operis confecisse, cognoscant peritissimum diuinae legis Origenem, tribus nihilominus editionibus prope cuncta quae disseruit aptauisse. Nec eorum quispiam mordacis linguae laceratur iniuria, cum potius inde laudis consequantur augmenta, quod prouectibus uberioris ingenii diligentiore posteros fide noscendae ueritatis instruxerint. Aliud namque est mutare composita et aliud integrare non plena. Quamuis spatia diuinae legis inmensa, quibus dicta semper adiciuntur et desunt, uelut mare fluuiorum penitus incrementa non sentiens, nullis terminari sensibus queant, nullis explicari linguis eualeant : sic et nostri prorsus ab sese libelli non discrepant, sed quae defuerant primis addita sunt secundis. Nec impares argumento uel ordine, sed stilo uidentur et oratione dissimiles. Proferant igitur sua si qui carpere nitentur aliena. Promptius est omnibus iudicare quam facere et de castrensi munimine pugnantium pericula securo uultu conspicere. Credo tamen, pater egregie, nullum fore quamuis impudenter obloquum, si meruero dextrum tui pectoris adipisci iudicium. Faue primus ut alii faueant, et omnibus mentibus sententia se probatae iugiter auctoritatis infundat. Tu facies ut delectet euasisse discrimina, cum serenior coeperis aperire tranquilla. Nauigaui prius in aequore, nunc in portu iam nauigem ; tandem aliquando post-undas calcare liceat nos

---

1 Terent. *Andr.* prolog. 17.

harenas! *Tetigimus* montes ex pelago, *tangamus* montes ex saxo, *et infirmos aquis inruentibus gressus nauali positos statione* firmemus. *Priores igitur libri quia* uersu digesti-sunt, *nomen* PASCHALIS CARMINIS acceperunt; *sequentes autem in prosam nulla cursus uarietate* conuersi, PASCHALIS *designantur* OPERIS *uocabulo* nuncupati. *Vtramque uero materiem* uobis orantibus, *Domino nostro Iesu Christo qui uota non recusat* humilium, *congrego supplicanter* et offero, *cui uirtus, honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto per omnia* saecula saeculorum. *Amen.*

Hoc igitur in primis neminem fugere potest, Sedulianas clausulas esse quadam accentuum lege moderatas; namque tot e clausulis (72) quas romanis distinxi litteris, uix quinque mihi occurrunt de quibus subdubitem : quae quidem uel certis accentuum collocationibus uel medela prudenti possunt in legitimarum numerum adduci. Fortasse enim et hoc ictu recitanda ea quae sunt, 172 3 *mágis-est adsecuta;* 173 2 *addita sunt-secundis;* et fortasse fas est mendosae scripturae sic mederi : 173 8 *impudenter obloqu*[*i*]*um*, (ut quidem in ueteribus editionibus legitur). Animi tamen pendeo de iis quae sunt : 172 5 *sunt in oratione*, 173 9 *alii faueant :* quae cum insolentibus caesuris male concludant, hoc tamen excusationis habent, ut leuissimis interpunctionibus uix distinguantur. Ceteras uero clausulas septem et sexaginta, quae quidem Sedulianum morem apertius declarant, et in certas sensus intermissiones incidunt, ita perpolitas esse comperio, atque priscis spatiis et accentuum legibus sic morigerari, ut hoc iam prospectu tam implicatae tamque subtilis rei aliquid praecipere possimus, utque tanquam in primo limine uestibuloque positi, locorum totam continuationem et aditus et itinera ipsasque angustias summatim complectamur.

Etenim si clausulas singulas uoluerimus earumque caesuras perlustrare, statim planum habebimus idem fere in his accidere quod in Leoninis iam factum esse intelleximus, atque huius quidem loci clausulas exire sine ullis fere exceptionibus in uocabula trisyllaba uel trtrasyllaba, hac etiam lege ut trisyllaba plerumque molossi formam gerant, tetrasyllaba uero, pro paenultimae cuiusque spatio, uel ditrochaei uel ionici a minori uel epitriti tertii uel choriambi forma esse praedita.

Proinde in spondiaca clausula molossicas primum uoces adgrediamur quarum habemus exempla sedecim : 171 5 *transferre sermonem*, 7 *liberiore describi*, 13 *circuitione discurrens*, 14 *praetereundo*[1] *lustraui*, 172 2 *uidentur inserta*, 5 *esse corruptam*, 10 *conentur iniuste*, 15 *consequantur augmenta*, 17 *integrare non-plena*, 18 *legis inmensa, adiciuntur et-desunt*, 173 10 *autoritatis infundat*, 11 *aperire tranquilla*, 13 *aliquando post-undas*, 15 *statione firmemus*, 18 *uarietate conuersi*. Accedit eiusdem formae corruptum genus illud ⏒́ – ⏒̀ ⏒́ ∾ : 171 10 *fatigationi commisi*, 172 9 *libris instructi*, 11 *iúris latórem*, 173 14 *montes ex-saxo*[2]. Neque tamen omnino exciderunt postremae uoces bisyllabae, quarum exempla nobis in hac praefatione occurunt tria : 171 3 *cárminis téxtum* (quod si non caesura, at certe spatiis simul et accentibus legitimum est) ; 172 4 *obtrectatóribus uíam, sénsibus qúeant* (quae cum alterius clausulae cuiusdam residua sint ⏒́ ⏑ ⏒̀ | ⏑́ ∾, tamen accentibus et antecessione cretici spondiacam adsimulant) : hoc tamen legentes monitos uolo, clausulas eiusmodi uelut imperfectas Sedulio minus placuisse, quippe quae fere numquam in interpunctionibus maximis ponantur, in minoribus raro, sed plerumque leuissimas tantum sensus intermissiones secernant.

Venio nunc ad clausulam illam e tetrasyllabis ditrochaicam, cuius sunt exempla pura quinque : 171 4 *ōbtŭlī pērlĕgēndum*, 8 *iussionibus non-resultans*, 172 1 *uiserem tarditatis*, 8 *litteras adsecuti*, 173 19 *uocabulo nuncupati*. Anteuertit autem ditrochaeum tribrachys semel (171 4 *simplĭcĭtĕr exsecutus*), anapaestus semel (173 13 *lĭcĕăt nos-harenas*), dactylus semel 174 3 *saēcŭlă saeculorum*. Dispondeus uero, quem ueteribus satis inuisum fuisse didicimus, maiorem sibi auctoritatem comparauit, eo cretico anteuertente cuius partes explere iam potuit pes trisyllabus quilibet paenultima breui : 173 17 *cārmĭnĭs acceperunt*, 172 11 *ŏpĕrĭs confecisse*, 13 *dissĕrŭĭt aptauisse*.

---

[1] Antequam de exitibus in *o* disseram p. 73, legentes rogo ut nunc quidem mihi fidem habeant eiusmodi uocales breviantі.

[2] Quod etiamsi uno uerbo scribatur, duplicem uidetur accentum seruare Cf. Corssen, *Ausspr.*, etc., II, 887.

Clausulas deinceps inspiciamus paenultima breui, quarum magis uaria genera sunt, ut tamen praecipua quaedam emineant. Priorem enim locum occupant epitritica uocabula et choriambica, nunc praemisso plerumque trochaeo, nunc alio pede quolibet bisyllabo, cuius prior syllaba cottidiano saltem feriatur accentu. Epitritica igitur habemus exeuntia uocabula cum praeposito trochaeo octo, ˊ◡ | ˋˊ◡∾ : 171 12 *ánte transíueram*, 172 1 *necessitátis angústia*, *habéntur in-cármine*, 12 *légis Orígenem*, 14 *lacératur iniúria*, 16 *ueritátis instrúxerint*, 20 *increménta non-séntiens*, 173 11 *euasísse discrímina;* cum spondeo sex ˊ– | ˋˊ◡∾ : — 171 9 *suscepi prouínciam*, 11 *reuoluti discríminis*, 13 *pórtus et-lítora*, 173 2 *libélli non-díscrepant*, 12 *pórtu iam náuigem*, 19 *uóbis orántibus.* Choriambicas uocés pauciores item anteuertere solet nunc trochaeus, nunc spondeus, adeoque nonnunquam uox pyrrichiaca, cuius syllaba prior feriatus accentu. 171 2 *reuerende mi-dómine*, 7 *fluctuáre iudício*, 172 6 *ístud obíciant*, 17 *mutáre compósita*, 173 4 *oratióne dissímiles*, 5 *iudicáre quam-fácere;* — 173 1 *linguis eualeant*, 6 *uúltu conspícere*, 8 *adipísci iudícium*, 14 *móntes ex pélago;* — 7 *páter-egrégie.* Atque illis clausulis a Sedulio coaequari uidentur extrema quaedam uerba diiambica, coniuncta uel cum trochaeo ut asclepiadei metri exitum referant (quod ueteres noluerunt) ˊ◡ | ◡̀ˊ◡∾, uel cum spondeo uel cum pyrrichio ˊ– | ◡̀ˊ◡∾, ◡́◡ | ◡̀ˊ◡∾ : 171 10 *uéla madéntia*, 174 2 *supplicánter et óffero;* — 173 3 *arguménto uel órdine;* — 12 *prius in-áequore.* Denique relicua sunt exempla tria singularia, e quibus unum fit ex spondeo et quarto paeone : 171 6 *geminārī uŏlŭĕris;* unum ex trochaeo et paeone item quarto, 174 1 *recūsăt hŭmĭlĭum*, unum ex tribus spondeis, (quod summa animaduersione dignum est), eidem tamen claudendi generi coaequatum ˊ– | ˋˊ ––, 173 16 *uérsu digésti-sunt.* Atque ex hoc firmum iam argumentum ducitur, quanti momenti fuerit in Sedulianis clausulis uis pondusque accentuum, et quanto opere cauendum sit ne momentum illud, quod fere caput est, posthabeamus. Neque praeterire silentio debemus exemplum unum eius clausulae Ciceroni notissimae, in uocem ionicam quam dicunt a minori exeuntis, 173 5 *nitēntŭr ălĭēna* (*esse uideatur*).

Nunc igitur quo lucidiús res peruideatur, id quod adhuc

indagaui, in unam hanc collectum tabulam[1] proponere libuit.

Spondiacae, uel eius similes.				Epitriticae, uel eius similes.		Ditrochaicae, uel eius similes.		Ionica à min.		Dubia
Caes. sollem.		Caes. altera.								
∪ ¦ — — ∾	16	— ∪ — ¦ — ∾	1	— ∪ ¦ — — ∪ ∾	8	∪ — ¦ — ∪ — ∾	5	— ∪ ¦ ∪ ∪ ∾	1	5
— — ¦ — — ∾	4	— ∪ — ¦ ∪ ∾	2	— ∪ ¦ — ∪ ∪ ∾	6	— ∪́ — ¦ — ∪ — ∾	1			
				—́ — ¦ — — ∪ ∾	6	— ∪ ∪ ¦ ∪ — ∾	1			
				¦ ∪ ∪ ∾	4	∪ ∪ ∪ ¦ ∪ ∾	1			
				— ∪ ¦ ∪ — ∪ ∾	2	— ∪ ∪ ¦ — — — ∾	1			
				— — ¦ ∪ — ∪ ∾	1	∪ ∪ — ¦ — — — ∾	1			
				— ∪ ¦ ∪ ∪ ∪ ∾	1	∪́ ∪ ∪ ¦ — — — ∾	1			
				—́ — ¦ ∪ ∪ ∪ ∾	1					
				∪́ ∪ ¦ — ∪́ ∪ ∾	1					
				∪́ ∪ ¦ ∪ — ∪ ∾	1					
				— ¦ — —́ — ¦ ∾	1					
Summa	20	Summa	3	Summa	32	Summa	11	Summa	1	S. 5

Hoc conspectu statim patet uocabula postrema bisyllaba paene remoueri, nisi cum praesertim anteuertat creticus, ex qua etiam coniunctione nascuntur clausulae spondiacae uel spondiacis similes. Hoc igitur in primis me consecutum esse reor, ut tripartitam generum diuisionem instituere satis recte possim, quarum prima spondiacas clausulas, siue fiant postremo pede bisyllabo siue trisyllabo, secunda epitriticas, tertia ditrochaicas complectetur[2] : qua distributione nullam aptiorem uideo, nullam cum priscis spatiis tum etiam accentuum cottidianorum rationi magis esse consentaneam.

Deinde ex tabula nostra iam intellegi potest quanta id temporis superfuerit, et quibus formis, uis et auctoritas spatiorum. Namque Sedulio potiores esse uidemus clausularum eas rationes quae, cum accentibus non obstent, priscis etiam obsecuntur numeris; interque omnes clausulas eam potissime puram integramque remansisse, quam uocaui spondia-

[1] Hac in tabella apicibus designantur percussiones accentuum.

[2] « Saint Cyprien termine généralement ses phrases par des trisyllabes ou des tétrasyllabes, moins souvent par des disyllabes et rarement par des mots de cinq syllabes. Quand il termine par un monosyllabe, c'est généralement par une forme enclitique du verbe *esse* ». E. DE JONGE, *M. Belge*, VII (1902), p. 358.

cam ; ditrochaicum uero dicreticumue genus, quamvis plerumque purum, pluribus tamen modis deprauatum esse, siue pes prior, siue posterior, siue uterque a solitis spatiis decederet. Sed haec et alia multa tum demum illustriora fient cum diligentissimam expleuerimus Sedulianarum clausularum rationem.

II

Nunc deuertar ad id quod relicum est, ut de clausularum Seduliarum usu et copia praemonenda quaedam proponam. Primumque attendendum, ex formulis illis quas modo duximus dubias, uix residuas esse duas quibus nolui mederi, easque adeo interpunctionibus excipi uel leuibus uel nullis : nam ea quae est 172 5 *sunt in oratione* omni interpunctione caret, quanquam habet intermissionem sensus aliquam : sed (ut infra dicendum erit), cum casus accidit, ut continuatio uerborum longior bipartito diuidatur, utque uerba uerbis quasi paria respondeant, tum in membro priore clausula Seduliana claudicare solet, ut paululum dilatus numerus eoque magis exoptatus, deinde in fine alterius membri perfectus cadat. Sed de hoc alias pluribus[1]. Post eam uero clausulam quae est 173 9 *alii faueant*, poterat sine ullo sensus detrimento eximi submediae distinctionis apex. Itaque suspicamur, quotiens dubia nobis occurrit clausula, id vel potuisse fieri de industria scriptoris, ut clausula insequens altera commendaretur, uel scripturae uitio quodam, uel ab aliqua male interposita distinctione profectum esse. Eam uero spondiacam clausulam quae est –́ ⏑ –̀ | ∾ ∾, et in allato loco ter ad summum obuenit, nulla usquam interpunctione majori exceptam uideo, propterea quod et male forte claudit, et iam neglecta obsolescit. Clausula autem quae est –́ ⏑ | ⏑ ⏑̀ –́ ∾ (173 5 *nitentur aliena*), quamuis rara, idcirco tamen optime uidetur claudere, quod interpunctione majori excipitur.

[1] Cf. pp. 88-sqq.

Nunc quod ad interpunctiones attinet, inspiciendum quibusnam clausulis anteuerti possint. Sunt igitur in editione Huemeriana interpuncta maiora quindecim, e quibus sex spondiacam clausulam, sex ditrochaicam, tres modo epitriticam excipiunt. Itaque cum in proposita tabula videantur dicreticae uel earum similes ceteris praestare numero, iudicabimus fortasse recte majores sensus intermissiones molossicis uocibus uel ditrochaicis libentius posse concludi, minores epitriticis. Sed haec enucleare usque eo supersedere uisum est, donec totius OPERIS singulas dinumerauero clausulas.

De copia uero clausularum, capere iam possumus coniecturam aliquam ex illa quam inspeximus *Epistula*; in qua non modo inesse uidentur eae clausulae certissimae quas ut describerem diligenter curaui, uerum etiam aliae comprobari fortasse possunt, quas in praesens tempus inspiciendas seposui. Tanta enim est Sedulianarum clausularum crebritas, ut omnis tantum non quattuor uel quinque uerborum ambitus apte in numeros cadat. Quod quo facilius intellegas, *Epistulam* nunc repetas uelim, hasque clausulas in primis agnoscas : 172 15 *uberioris ingenii*, 173 4 *igitur sua*, 6 *de castrensi muniminc*, 15 *inruentibus gressus*, etc.

Solet autem Sedulius in unum ea uerba cogere atque numerose claudere, quorum continuatione uel subiecta uel praedicata in singulis comprehensionibus conficiuntur ; atque adeo si continuatio sit longior, eam quasi in membra minutiora diuidere, quae singula ueniant ad numeros. Sed alia ex aliis locis exempla proferam.

Primum igitur uideamus quemadmodum subiecta singula, cum e compluribus fiant uerbis, numerose cadere soleant.

I I, 176 6 Cum poetarum studiosa consuetudo gentilium...
I VIII, 183 6 mitis uirgae natura tractabilis...
I XII, 184 21 asella uile pecus et stolidum...
I XVIII, 187 8 auctor igitur tam nefandi indicii...
II XI, 211 8 cumque iam aetate proficiens...
III I, 232 1 prima dominus nuptiis interesse dignatus[uirtutis suae documenta patefecit].
III VIII, 238 5 Hinc Dominus nauigio rursus famulante subuectus...
IV I, 255 1 Iam cum Iordanis fluenta transgrediens...
IV XX, 269 19 Hac etiam Dominus e regione discedens...
IV XXII, 271 18 utque Dominu saecularis ambitus caduca contemnens.

Ne plura ; exempla alio in genere iam adeamus pauca, eaque in primis quae cum accusandi casu uel cum casu latino adhibentur :

I xix, 187 15 nec minus Darii postmodum regnatoris...
II xiv, 217 15 o quantum coecitatis atque caliginis...
II xvii, 222 14 namque trium puerorum in camino canentium...
III vii, 237 4 interea quieti iam gurgitis...
IV vii, 259 13 praeterea dum Pharisaei cuiuspiam postulantis...
I xv, 186 7 Ezechiae regi iustissimo | in extremis uitae terminis constituto...
IV viii, 261 1 Dominus multis diuerse languentibus | et uariae cladis calamitate uexatis...
II xvi, 219 5 tanquam natantes uias ponti fluctuantis incertos...
II xvii, 220 6 qui caelorum perpetem regnatorem...
II xvii, 223 11 nec terrenam corporis nostri substantiam...
II xvii, 223 13 ac pessimis nos suasionibus inuolutos...
III iii, 233 12 Inde per diuersas urbes et compita | perque rura uicos et castra...
V i, 273 1 Inter has diuitum copias sine fine uirtutum...
I xxvii, 190 18 ne sanctae religionis in pagina...
II xvii, 224 11 a paucis uiris atque rarissimis...
II vi, 201 11 Tunc angelici iucunditate sermonis...
III ix, 239 7 Haec igitur Domino faciente miracula...
III xiii, 242, 4 His itaque uix dimissis...
V ii, 274 17 Tunc annui sacramento conuiuii...

Neque Sedulius a claudendo se continuit, quotiens uerborum (ut solebat) congeriem adstrueret :

III vii, 238 1 gregem peruasit, impulit, ac necauit...
II x, 210 4 pecusque mollissimum | mandit, lacerat, decerpit, extinguit...
III x, 240 15 non obsecrans, non ingemens, non deplorans...
III vii, 237 17 quippe niger, hirsutus et horridus...
V iii, 276 11 Tune igitur, audax, cruente, ferox, rebellis, insane ; | Tune fallax, crudelis, inique, uenalis et perfide ; Tune traditor, latro, fere, proditor inmitis et impie...
V xii, 285 1 Quod... fragile, uacuum, leue cernitur et caducum...

Quod igitur institueram, hoc uideor mihi satis effecisse, ut uno quasi obtutu prospiceretur genus et usus et copia Sedulianarum clausularum. Neque me fugit, ex iis clausulis quas fortasse adesse posse dixi interspirationibus uocis leuissimis, nonnullas ipsa linguae latinae natura et sua quasi sponte in coniunctionem uenisse : quas ut ex dinumerationibus

meis eicerem, summo opere enixus sum. Namque potius habui, si quas e tam multis clausulas praetermitterem, quam si ex dubiis summis periculum aliquod fieret ne conclusiones ipse meas conturbarem.

III

Mihi hoc in genere disputare incipienti dabitur, ut opinor, licencia, quoniam spatii premor angustiis, ut, omissis exemplis Sedulianis omnibus quae, quotquot extant, mihi selegeram, schemata sola clausularum singula, eorumque numerum et proportionem affere possim, eaque in tabulas quattuor redacta proponere. Instituere igitur libebit primam tabulam, quae spondiacas uel spondiacis similes colligat clausulas, secundam quae spondiacarum dissolutos creticos, tertiam quae dicreticas, quartam quae ditrochaicas complectetur. Verumtamen cum uererer ne ansam praeberem reprehensionis aliquam, si promiscue omnes capitulorum, comprehensionum, incisorum exitus consociarem, distinguendos putaui esse trinas cuiusque tabulae summas, ut exitus capitulorum et comprehensionum primo apparerent, qui semper interpunctis excipiuntur maioribus; deinde incisorum clausulae, quae uel minoribus solent apicibus notari, uel etiam nullis : namque cum nimium parcus in interpungendo Huemerus fuerit, plurima reliquit incisa quae interpunctis carerent, quanquam in his certissime plerumque aliquis medius sensus interuenit.

A. — Clausulae spondiacae earumque similes.

FORMAE (1)	Fines cap.	Fines compr.	Fines incis.	Summae sing.	Summae uniu.	Proportio %
–́ ⏑ ∣ – –́ –	30	132	494	656	799	74,7
–́ ⏑ ∣ – ∣ –́ –	6	24	64	94		
–́ ⏑ – ∣ –́ –	0	4	45	49		
–́ – ∣ – –́ –	2	26	106	134	155	14,5
–́ – ∣ – ∣ –́ –	0	5	16	21		
⏑́ ⏑ ∣ – –́ –	1	2	21	24	36	3,7
⏑́ ⏑ ∣ – ∣ –́ –	0	1	3	4		
⏑́ ⏑ – ∣ –́ –	0	2	6	8		
⏑́ – ∣ – –́ –	0	1	15	16	16	1,3
–́ ⏑ ∣ – ∣ ⏑́ –	1	7	12	20	50	4,6
–́ ⏑ – ∣ ⏑́ –	0	2	28	30		
⏑́ ⏑ ∣ – ∣ ⏑́ –	0	1	0	1	7	0,8
⏑́ ⏑ – ∣ ⏑́ –	0	3	3	6		
–́ ⏑ ∣ ⏑ –́ –	0	0	4	4	7	0,5
–́ ⏑ ∣ ⏑ ∣ ⏑́ –	0	0	1	1		
⏑́ – ∣ ⏑ –́ –	0	0	1	1		
–́ – ∣ ⏑ –́ –	0	0	1	1		
	40	210	819	1070	1070	100,0

B. — Clausulae spondiacae uel earum similes, quae creticum soluunt priorem (*esse uideatur*).

FORMAE	Finis capit.	Finis compr.	Finis incis.	Summae
–́ ⏑ ∣ ⏑ ⏑ –́ –	1	9	14	24
–́ – ∣ ⏑ ⏑ –́ –́	0	0	1	1
⏑́ ⏑ ∣ ⏑ ⏑ –́ –	0	1	0	1
–́ – ∣ – ⏑ –́ –	0	0	2	2
–́ ⏑ ∣ – ⏑ –́ –	1	1	1	3
⏑́ – ∣ – ⏑ –́ –	0	0	1	1
–́ – ∣ – – –́ –	0	0	2	2
Summae	2	11	21	34

1 In his tabulis quattuor signo ∣ notantur caesurae, apicibus percussiones accentuum; singulorum schematum ultima figura – siue longam siue breuem significat.

C. — Clausulae dicreticae earumque similes.

<table>
<tr><th>Coniunctiones pedum.</th><th></th><th>FORMAE</th><th>Fines capit.</th><th>Fines compr.</th><th>Fines incis.</th><th>Summae</th><th>Proportio %</th></tr>
<tr><td>Creticus posterior cum</td><td>Cretico</td><td>–́ ⏑ | — –́ ⏑ —</td><td>12</td><td>29</td><td>215</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ ⏑ | — | –́ ⏑ —</td><td>3 } 15</td><td>16 } 45</td><td>68 } 286</td><td>346</td><td>29,1</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ ⏑ | — | –́ ⏑ | -</td><td>0</td><td>0</td><td>3</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Molosso</td><td>–́ — | — –́ ⏑ —</td><td>1</td><td>10</td><td>113</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ — | — | –́ ⏑ —</td><td>1 } 2</td><td>2 } 12</td><td>33 } 147</td><td>161</td><td>13,5</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ — | — | –́ ⏑ | ·</td><td>0</td><td>0</td><td>1</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Anapaesto</td><td>⏑́ ⏑ | — –́ ⏑ —</td><td>0 } 1</td><td>1 } 1</td><td>13 } 21</td><td>23</td><td>1,9</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ ⏑ | — | –́ ⏑ —</td><td>1</td><td>0</td><td>8</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Antibacchio</td><td>⏑́ — | — –́ ⏑ —</td><td>1 } 1</td><td>2 } 1</td><td>8 } 15</td><td>19</td><td>1,6</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ — | | –́ ⏑ -</td><td>0</td><td>1</td><td>7</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>Anapaestus posterior cum</td><td>Cretico</td><td>–́ ⏑ | ⏑́ ⏑</td><td>9</td><td>34</td><td>226</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ ⏑ | — | ⏑́ ⏑</td><td>1 } 10</td><td>5 } 39</td><td>55 } 282</td><td>331</td><td>27,8</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ ⏑ | | ⏑́ ⏑ |</td><td>0</td><td>0</td><td>1</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Molosso</td><td>–́ — , ⏑́ ⏑</td><td>1 } 1</td><td>2 } 3</td><td>80 } 100</td><td>104</td><td>8,7</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ — | — | ⏑́ ⏑ —</td><td>0</td><td>1</td><td>20</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Anapaesto</td><td>⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑</td><td>0 } 0</td><td>0 } 0</td><td>25 } 33</td><td>33</td><td>2,7</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ ⏑ | | ⏑́ ⏑</td><td>0</td><td>0</td><td>8</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Antibacchio</td><td>⏑́ — | ⏑́ ⏑</td><td>0</td><td>0</td><td>13</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ — | — | ⏑́ ⏑ -</td><td>0 } 0</td><td>0 } 0</td><td>3 } 17</td><td>17</td><td>1,5</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ — | · | ⏑́ ⏑ | -</td><td>0</td><td>0</td><td>1</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>Creticus posterior cum</td><td>Dactylo</td><td>–́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑</td><td>3</td><td>7</td><td>41</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ ⏑ | ⏑ | –́ ⏑</td><td>0 } 3</td><td>4 } 11</td><td>15 } 59</td><td>73</td><td>6,1</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ ⏑ | ⏑ | –́ ⏑ |</td><td>0</td><td>0</td><td>3</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Bacchio</td><td>–́ — | ⏑ –́ ⏑ —</td><td>0 } 0</td><td>1 } 3</td><td>27 } 31</td><td>34</td><td>2,9</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ — | ⏑ | –́ ⏑</td><td>0</td><td>2</td><td>4</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Tribrachy</td><td>⏑́ ⏑ | ⏑ –́ ⏑</td><td>0 } 0</td><td>0 } 0</td><td>2 } 4</td><td>4</td><td>0,4</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ ⏑ | ⏑ | –́ ⏑</td><td>0</td><td>0</td><td>2</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Amphibrachy</td><td>⏑́ — | ⏑ — ⏑ —</td><td>0 0</td><td>0 0</td><td>1 1</td><td>1</td><td></td></tr>
<tr><td>Paeon IV posterior cum</td><td>Trochaeo</td><td>–́ ⏑ | ⏑ ⏑́ ⏑</td><td>1 } 1</td><td>2 } 3</td><td>16 } 22</td><td>26</td><td>2,2</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>— ⏑ | ⏑ | ⏑́ ⏑ ·</td><td>0</td><td>1</td><td>6</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Spondeo</td><td>–́ — | ⏑ ⏑́ ⏑ —</td><td>0 } 0</td><td>2 } 2</td><td>5 } 7</td><td>9</td><td>0,8</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>–́ — | ⏑ | ⏑́ ⏑ —</td><td>0</td><td>0</td><td>2</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Pyrrhichio</td><td>⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑́ ⏑ —</td><td>0 } 0</td><td>0 } 0</td><td>2 } 3</td><td>3</td><td></td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ ⏑ | ⏑ | ⏑́ ⏑ —</td><td>0</td><td>0</td><td>1</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Iambo</td><td>⏑́ — | ⏑ | ⏑́ ⏑ —</td><td>0 0</td><td>0 0</td><td>3 3</td><td>3</td><td></td></tr>
<tr><td>Diuersae conj.</td><td></td><td>–́ — | ⏑ –́ — | —</td><td>0</td><td>0</td><td>1</td><td></td><td>0,8</td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>⏑́ — | — | –́ — | —</td><td>0</td><td>0</td><td>1 } 3</td><td>3</td><td></td></tr>
<tr><td></td><td></td><td>′ | ′ - | -</td><td>0</td><td>0</td><td>1</td><td></td><td></td></tr>
<tr><td>Summae</td><td></td><td></td><td>34</td><td>122</td><td>1034</td><td>1190</td><td>100,0</td></tr>
</table>

D. — Clausulae ditrochaicae earumque similes.

Coniunctiones pedum		FORMAE	Fines capit.		Fines compr.		Fines incis.		Summae	Proportio %
Ditrochaeus posterior cum	Cretico	´ ⏑ | ´ ⏑ ´	4	11	35	57	81	112	180	**23,2**
		´ ⏑ – | ´ | ⏑ ´	4		17		19			
		–́ ⏑ | | ´ | ⏑ ´	3		5		12			
	Anapaesto	⏑́ ⏑ | –́ ⏑ ´	1	6	16	33	71	98	137	**17,7**
		⏑́ ⏑ | ´ | ⏑ ´	5		16		25			
		⏑́ ⏑ | | –́ | ⏑ ´	0		0		2			
		⏑́ | ⏑ | –́ | ⏑ ´	0		1		0			
	Dactylo	´ ⏑ ⏑ | ´ ⏑ ´	11	12	16	24	48	73	109	**14,1**
		´ ⏑ ⏑ | ´ | ⏑ ´	1		8		25			
	Tribrachy	⏑́ ⏑ ⏑ | ´ ⏑ ´	2	4	5	9	[illegible]	15	28	**3.6**
		⏑ ⏑ ⏑ | ´ ⏑ ´	2		4		7			
	Molosso	–́ | ´ ⏑ ´		0		0	1	1	1	»
Dispondeus posterior cum	Cretico	´ ⏑ – | –́ ´	3	5	7	24	33	47	76	**9,7**
		´ ⏑ | ´ | ´	2		12		13			
		–́ ⏑ – | ´ | | ´ –	0		4		0			
		–́ ⏑ | | ´ –́	0		1		0			
		–́ ⏑ | ´ –́ – ´	0		0		1			
	Anapaesto	⏑́ ⏑ – | ´ ´	1	3	5	13	27	45	61	**7,8**
		⏑́ ⏑ – | –́ | – ´	2		7		16			
		⏑́ ⏑ – | –́ | –́	0		1		2			
	Dactylo	´ ⏑ ⏑ | –́ – ´ –	1	2	9	11	26	37	50	**6,4**
		–́ ⏑ ⏑ | –́ | – –́ –	1		2		11			
	Tribrachy	⏑́ ⏑ ⏑ | –́ –́ –	1	1	4	7	9	15	23	**2,9**
		⏑́ ⏑ ⏑ | ´ | ´	0		3		6			
Epitritus I posterior cum	Cretico	–́ ⏑ – | ⏑́ ´	2	2	5	5	18	19	26	**3.6**
		–́ ⏑ | ⏑́ | – –́ –	0		0		1			
	Anapaesto	⏑́ ⏑ | ⏑́ – –́	1	2	2	2	15	16	20	**2.5**
		⏑́ ⏑ – | ⏑́ | –́ –	1		0		0			
		⏑́ ⏑ – | ⏑́ | –́ | –́ –	0		0		1			
	Dactylo	– ⏑ ⏑ | ⏑́ – ´	2	2	1	1	4	5	8	**1,0**
		⏑ ⏑ | ⏑́ | – –́	0		0		1			
	Tribrachy	⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑́ – –́ –	0	0	0	1	5	7	7	**0,9**
		⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑́ | – ´	0		0		2			
	Molosso	´ | | ⏑ – – –		0		1		0	1	»
Ionicus a min. posterior cum	Cretico	´ ⏑ – | ⏑́ ⏑ –́ –	0	0	0	1	6	10	11	**1,3**
		–́ ⏑ – | ⏑́ | ⏑ –́	0		0		3			
		´ ⏑ – ⏑́ ⏑ –́	0		1		1			
	Anapaesto	⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ –́ –	0	0	1	1	5	7	8	**1,0**
		⏑́ ⏑ | ⏑́ | ⏑ –́ –	0		0		2			
	Dactylo	–́ ⏑ ⏑ | ⏑́ ⏑ –́ –	1	1	3	5	15	17	23	**2,8**
		–́ ⏑ ⏑ | ⏑́ | ⏑ –́ –	0		2		2			
	Tribrachy	⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑́ ⏑ –́ –	1	1	1	1	3	6	8	**1,0**
		⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑́ | ⏑ –́	0		0		3			
Coni. diuersae		⏑́ ⏑ – | –́ – | ⏑́ –	0	0	0	1	2	3	4	**0,5**
		–́ ⏑ – | –́ ⏑ | ⏑́ –	0		1		1			
Summae				52		196		533	781	**100 %**

CAPVT IV

De accentibus deque spatiis, quatenus utraque Sedulius secutus sit.

Ex tabulis iis quas hactenus accuratissime apparaui, argumenta possum colligere non pauca, quibus effecturum me esse spero ut de ratione accentuum spatiorumque in Sedulianis clausulis certum aliquid comprobatumque teneatur. Quod mihi, ut opinor, commodius erit, si prius quaestiones paucas expediuero, quae rei nostrae propriores atque adiunctiores sunt.

I

Ac primum quidem ad hanc soluendam quaestionem accedam, quatenus in clausulis etiam priscis conexa sint cum accentibus spatia. Namque clausulas priscas ex spatiis pendere, nemo non concedit; sed e priscis quot et quaenam ipsa rerum natura totiens certas accentuum rationes quotiens ipsa spatia seruent, hoc adhuc a nemine indagatum uideo.

Proinde eas in primis Ciceronianas attendamus clausulas a quibus mos ille Sedulianus profectus est. In clausula spondiaca satis manifestum est quam apte cum spatiis concinant accentus, siue sollemnis caesura ⏓́ ⏑ | – ⏓́ ∾ [1], siue ea quae

---

[1] In his apex ictum cottidiani accentus significat.

multo rarior est –́⏑– | –́∼ adhibetur. Si tamen Wolffio [1] credas auctori, Ciceronem constat quibusdam aliis interdum morigeratum esse caesuris, quibus a solitis locis detraheretur accentus, uelut in his quae essent : 1° –́ | ⏑––́∼; 2° –⏑´ | ∼; 3° | ⏑́ | ´∼; 4° | – | ´∼; 5° | –´ | ∼; 6° –́⏑ | –́– | ∼; in quibus uel accentus alter, uel uterque uehementer detruditur. Nec tamen Wolffianam illam descriptionem ualde probo, quae mihi nimis ad arbitrium uidetur esse facta. Etenim, ne ceteras nunc incisiones excutiam, prima cum in uocem exeat tetrasyllabam, superiore quolibet alio pede debet expleri [2]. Atque eodem recidit quinta, cuius exitus enclisi fit tetrasyllabus. Tertiae uero et quartae non attulit nobis Wolffius exempla quibus rem diiudicare ualeamus ; sed in eiusmodi incisionibns uidetur saepe enclisis ui factum, ut accentus uterque suum locum seruet, uelut in his : *úrbs-fuit* | *quóndam ; párs* | *ad* | *extrémum*. Secundae et quintae, quae in monosyllabas uoces exeunt, condicionem adeo incertam esse arbitror, ut ex hac dinumeratione eicienda utraque mihi uideatur.

Fac tamen illa Wolffii dinumeratione nihil esse rectius, accentus clausulae spondiacae uix suo loco amoueri possunt *in centenis uiciens* ; res autem cum in summo dubio uersetur, uides quantum sit de portione illa detrahendum, ut perpensis mature omnibus, iure concludamus iam a Ciceronianis temporibus in spondiaca clausula certam fere semper constare spatiorum atque accentuum conuenientiam.

Quod uero ad clausulam ditrochaicam attinet, rem satis implicatam facilius enodari posse confido, si singulatim de utroque eius pede disputauero. Raro igitur accidit ut ditrochaeus per se totos absoluat numeros : sed hac in re Wolffius arbitratus est ditrochaeum uno uerbo sine ulla caesura constare fere octiens et quadragiens in centenis, duobusque uerbis enclisi consociatis (–́ | ⏑–́∼) fere bis et triciens : cuius portionis summa tota est *in centenis fere octogiens*. Atque ut in spondiaca computanda, nunc in hac uehementer errauisse Wolffium teneo : nam ex exemplis quae incisionem osten-

---

[1] *De claus. Ciceronianis*, p. 600.

[2] Cf. E. Bornecque, *Rhein. Mus.*, LVIII (1903), p. 375.

dum illam - | ⏑ - ⏓, omnino detrahenda curaui ea quorum longa prima a uocabulo quolibet polysyllabo antecedente eripitur, ut in eo quod est *auctŏr mălōrum*, quod aliud esse genus claudendi sentio (et mecum facit Bornecquius[1]). Ea uero caesura quae est ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏓, et obuerit *quindeciens in centenis*, cum accentum principalem non amoueat, inter sollemnium caesurarum numerum reuocari potest, ut habeatur proportionis summa *in centenis fere quinquiens et nonagiens.*

Constat igitur, quotiens fere ditrochaeus a Cicerone in claudendo usurpatur, pedem huiusmodi uel toto uocabulo conformari, uel uocabulis duobus enclisi coniunctis, uel uocabulis duobus trochaicis, quorum in posteriore accentus principalis seruetur locus. De priore autem pede magis haereo, cuius caesuras nec ipse Wolffius dimetiri uoluit, nec mihi propositum esse puto. Video tamen Ciceroni placuisse, ut ditrochaeo praemitteretur siue creticus (quod creberrime accidit) siue spondeus, siue (ut nunc quidem Wolffio fidem habeam) choriambus[2]. Creticus igitur quibus modis incidatur, Wolffianis exemplis p. 585 allatis nixus expediam. Etenim dimissis iis duobus quae sunt *sūstĭnē*[*ret dolorem*], *illĭgān*[*tur lepores*], quippe quae ad aliud clausularum genus referri debeant[3], haec residua sunt : *mórtui nominabo, desíderat quam doloris, nón-erat confiteri, sémper-est consulendum, ésset obtemperatum, síngulis est tributa, glóriam consecuti, ésse consideretur, cóntinet quaestionem.* In his quidem exemplis incisio fit post creticum quinquies, post trochaeum bis, dubie uero post alterutrum bis (*semper-est, non-erat*). Quoniam uero suadet enclisis ut legamus *nón-erat, sèmper-est*, sequitur ut in his etiam Cicero post creticum incidat. Accentum igitur a prima syllaba nunquam remoueri posse satis constat[4]. Neque aliter dicendum, si ditrochaeum anteuertat

---

[1] *Ibid.* — Cf. May, *Archiv. f. latein. Lex.*, XII (1902), p. 594 ; E. de Jonge, *Mus. Belge.* VI (1902), p. 268.

[2] *De claus. Cic.*, p. 597.

[3] May, *Arch. f. lat. Lex.*, XII (1902), p. 594 ; E. de Jonge, *Mus. belge*, VI (1902), p. 268.

[4] Exempla alia rarissima sunt caesurae huius : *fortissimīs uĭris congregauit*, etc. ; in quibus haud scio an accentus pondere repetendus sit prior pes a syllaba *uĭ*, quod certo fieri apud Ciceronem uidemus, quotiens ditrochaeo

spondeús, quod Ciceroni etiam placuit. De choriambo autem disputauit Wolffius, cuius exempla singula persequar : *plūs ĕtĭām disciplina; animorūm tăcĭtām iudicare ; dissipatōs hŏmĭnēs congregauit, sīnt mĭsĕrōs iudicare, hīstŏrĭā curiosus, ēssĕ mălūm confitemur, ŭt pĕr ĕūm uiueremus, bēstĭŏlāe reperiemur, naūfrăgĭō pĕrĕăt-Atreus, sānguĭnĕ dēmersa-iaceat, nōn ălĭēna moueri.* At mihi haec exempla omnia uidentur a choriambo penitus esse abiudicanda. Etenim in quinque prioribus haud erat quod pes ille tertius a quarta superiore syllaba repeteretur, cum et a Quintiliano doceamur, quicquid supra tres syllabas, id esse pluribus pedibus[1] ; et pro certo tenendum sit, in oratione soluta clausularum pedes nunquam plures quam tres esse repetendos : fac enim legitimum esse choriambum, sic necesse est haec dimetiaris : *plūs ĕ | tĭām | dīscĭ | plīna ; sīnt mĭ | sĕrōs | iūdĭ | cāre*, etc. : quae clausulae quattuor essent pedibus. Adeoque pedem tertium ab anapaesto sumendum esse teneo, propterea quod anapaestus ille ex dissoluto spondeo ipsa rerum natura oriri potest. Huc etiam accedit uis accentus, quam ipse remisit Wolffius interdum utilem esse in diiudicandis clausulis[2]. Exempla quae mox attulit duo, dubitationem adhuc majorem mihi iniciunt, *ēssĕ-mălum, ŭt-pĕr-ĕum*; de relicuis quidem res patet sine ulla controuersia. Cum uero Bornecquianis indagationibus constet Ciceronem, praeter sollemnes creticos uel spondeos, usum etiam fuisse pedibus ceteris quibuslibet, restat ut teneamus ditrochaeum, nisi creticis aut spondeis anteuerteretur, uel per se explere potuisse numeros, uel si quis tertius pes desideraretur, huius rationem ita se habere, ut

---

spondeus anteit legitimus, uelut in his (*De Or.* I, 52, 226) [ha]*bénas tradidisset* ; I, 57, 242, [uolun]*táti mortuorum.*

[1] *Inst. Or.* IX, 4, 79.

[2] Cf. *De claus. Cic.*, p. 586. Si exempli gratia in his uerbis Brvti 35 *oratorem perfectum dicere* clausulam C (i. e. *pérfectùm...*) statueres, accentum uiolares ; esset enim acuendum *pérfectùm dicere* : is accentus autem quam maxime abhorret a lingua latina. Igitur hanc quoque ob causam in his exemplis clausulam non plus quinque syllabas complecti credimus et hanc eiùs formam statuemus : *per | féctum diceret* — p. 590 : Habes igitur Rosc. Am. 30 *condicionēm mĭsĕrō fĕrunt*, quantitatis quidem ratio habita erit, ut clausulam D (dochmiacam) uidere tibi uidearis ; uerum uis fit accentui : quis enim homo romanus unquam tales accentus posuit ? — Cf. denique pp. 667-670.

et trisyllabus esset et cretici uel spondei par spatiis; quod fieri profecto non potuit, nisi accentus in prima pedis resideret syllaba.

Veniamus nunc ad clausulam dicreticam cuius etiam numeri cum certis accentibus consonant. Etenim incisiones eius clausulae sollemnes auctore Wolffio[1] fiunt uel post priorem trochaeum uel post priorem creticum numero 150 ex 298, siue in centenis fere semel et quinquagiens. Incisiones uero aliae quas ipse permixte dinumerauit, mihi in suspicionem ueniunt, quod ad alia clausularum genera referri possunt, atque in primis ea quae sunt 1° – ∪ –́ – | ∪́ ∼; 2° – | ∪ –́ – | ∪́ ∼; 3° –́ ∪ | –́ – | ∪́ ∼; 4° – | ∪́ | –́ – | ∪ –; 5° – | ∪́ – | –́ ∪ ∼; illae enim (numero 78, siue in centenis quinquagiens et uiciens) uel dochmium referunt praetermissa priore syllaba, uel duabus praetermissis prioribus iambum spondeo expletum. Ceterae satis multae (numero 70, siue in centenis ter et uiciens) quae sunt – | ∪ – –́ ∪ ∼ *síc amatóribus*[2]; – | ∪ | – –́ ∪ ∼ *súnt in ardéntibus*; – ∪ | – –́ ∪ | ∼ *ípse ponéndus est*; –́ ∪ – | –́ ∪ | ∼ *cíuibus nátus est*; –́ ∪ | – | –́ ∪ ∼ *ipse non percipit*; –́ ∪ | – | –́ ∪ | ∼ *ipse non factus est*; uel detracta prima syllaba ipsae quoque dochmium sonant, uel enclisi certe ad sollemnes caesuras pertinent, iisdemque accentuum ictibus utuntur. In dicreticis igitur quas uocamus clausulis, siue post trochaeum siue post creticum fit incisio, semper accentus cum spatiis concinunt.

Ne plura : ex illis Wolffianis exemplis quae labefactare hactenus institui, facile intellegi potest, copulationes uocabulorum esse fere innumeras quae quantitatibus obsequantur legitimis ; quae uero accentibus paucissima. Quare cum ipse Cicero has adamet, illas deuitet, sequitur ut pro certo habeamus iam inde a priscis temporibus studiosos numerorum scriptores dedita opera non tantum morigeratos esse spatiis, uerum etiam aliqua ex parte accentibus.

Neque defuerunt aliae clausulae, a Cicerone etiam satis tritae, quae quamuis diuersis insignes spatiis, accentuum tamen ictibus eodem reciderent. Accedebat enim primum spondiacae clausulae ea quam uocamus bacchiacam –́ – | ∪́ –́ ∼,

---

[1] P. 601.
[2] Ipse exempla finxi, quae apud Wolffium desiderantur.

ípsum ferántur, in qua tamen hoc spatiis concedebatur ut primam uocis trisyllabae breuem antecederet alterius uocis longa prostrema [1], ne clausula efficeretur heroica, quam ut exploderent omnes ueteres consenserunt. Atque spondiacam assimulare etiam potuit ea Ciceroni satis iucunda, quae est ⏊ ∪ ⏊ | ∪́ ∾ *póstero díe*.

Ditrochaicae uero clausulae fere par erat illa dispondiaca, de qua multum atque acriter ambigitur inter uiros doctos, ut eam alii legitimam, alii uitiosam esse uelint : neque infitior peritos numerorum scriptores eam quasi flocci fecisse, praequam ceteris usi sunt ; iisdem tamen toleranda interdum uidetur [2] adeoque hanc ueniam habet, ut eius secunda syllaba, inter leuem arsin primae et accentum tertiae quasi oppressa minus distincte sonet atque uix obscuretur. Vi etiam accentuum ditrochaeo coaequari potuit antispastus uel epitritus quem uocamus primum, uterque a ueteribus nec ita raro adhibitus [3]. Hoc autem animaduersione dignum est, quod dispondeo antispasto epitrito praemitti solent ii ipsi pedes qui ditrochaeum anteuertunt, praeterquam quod hoc etiam conceditur spatiis ut epitritum primum uel antispastum antecedat potius postrema uocis alterius syllaba longa, eaque adeo quae spondei, cretici, anapaesti extremum occupat locum. Denique ei clausulae quam uocauimus dicreticam admodum similis ea est quae choriambica uoce terminatur, quae (pace Bornecquii dixerim), Ciceroni non iniucunda fuit [4]; itemque ea quae in diiambum uel in paeonem alterum cadit : quae clausulae omnes et arsi utuntur et accentu in antepae-

---

[1] Cf. A. Macé, *Essai sur Suétone* (Paris 1900), pp. 379-sqq.

[2] Cic. *De Or.* I, 55, 236 *pedissequamque ădiūnxīsti* ; 57, 241 *agnascendo rūmpī tēstāmēntum* ; 56, 339 *eloquentia sūstentātus*, etc.

[3] Cic. *De Or.* I, 57, 245 *scriptum uĭdēretur* ; 19, 80 *contraria rĕfūtāre* ; 78, 318 *principio sĭt ūtendum* ; III, 27, 107 *copiă pĕtēbātur* ; III, 33, 133 *negotio rĕferretur* ; II, 17, 71 *similitudini rĕlīquīsti*, etc.

[4] Cic. *De Or.* I, 24, 11 *fortună constituit* ; III, 49, 187 *crimen effugiam* ; 194 *uocumque iudicio*, etc. « Elle se trouve conseillée par un bon nombre de grammairiens. Cicéron, Symmaque, etc., s'en sont fréquemment servis. » *Musée Belge*, VI (1902), p. 276. — Skvtschivs (*Philologus*, LXI (1902) pp. 193-4) censet clausulam choriambicam ex spondiaca ductam esse ⏊ ∪ | ⏊ ∪́∪ ∾ : neque ego repugno.

nultima, et pedem priorem expostulant potissime bisyllabum spondeum uel trochaeum : atque hoc in his etiam accidit, ut spondeus breuem, trochaeus longam anteuertere soleat : ′ | ⏑̀ ⏑́ ⏑ ∾ (Cic. *De O.* ii, 85, 336 *audiri fàcillime*; iii, 34, 138 *quosdām rĕlinqueret*).

Quae cum ita sint, hoc etiam tenemus, iam inde ab incunabulis numerorum, non modo eas clausulas extitisse praecipuas quae cottidiano regerentur accentu, uerum etiam alias fuisse potiores, easque adeo quae praecipuas non spatiis quidem, sed omnino accentibus imitarentur.

Neque tamen uis pondusque accentuum impedire omnino potuit, quominus interdum fierent eae longarum dissolutionnes [1], quas Ciceroni satis iucundas uidemus fuisse : quanquam ipse Cicero iis tam caute usus est, ut et semel tantum in eadem clausula longam in duas breves dirimeret, et quoad facultas ferebat, in thesi potius quam in arsi. Nobilem in primis eam dico quae est ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑̀ ⏑́ ∾ *esse uideatur,* quae cum in thesi fiat nec accentum immutet, in gratia apud posteros etiam qui numerose scriberent posita est. Neque uero obstat, quod in Ciceronianis clausulis dissoluitur interdum prioris cretici syllaba prima uel postrema, uel spondei longa posterior, ut in his ⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑̀ ⏑́ ∾ *génere dicéndi,* ⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑̀ ⏑́ ⏑ ∾ *bréuiter ut-cétera,* ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑̀ ⏑́ ⏑ ∾ *óre maledícere,* ⏑́ ⏑ ⏑ | ⏑̀ ⏑́ ∾ *solácia dedísset,* quorum exemplorum alia accentum integrum esse patiuntur, alia simul cum arsi pedis in tertium locum remouent. Per decursum uero temporum defluxit illa dissolutionum consuetudo, atque ex prioribus pedibus complures obsoluerunt, solus fere creticus mansit [2]. Quas enim Cicero praecipuas frequentauerat clausulas, iis Symmachus sic morigeratus est ut ceteras paene repelleret. Iam enim cauere coepit ne ditrochaeo, dispondeo antispasto praemitteret spondeum; illique satis fuit ut cretici prioris agere posset partes pes trisyllabus quilibet, ea paenultima breui insignis cuius ope saluus maneret

---

[1] Cf. W. Meyer, *Gött. gel. Anz.* I (1893), p. 7.

[2] Hoc in genere cum Meyero et Zielinskio prorsus consentio, cf. p. 66. Huc accedit id quod scripsit V. v. Wilamowitz-Moellendorff (*Commentariolum Metricum*, in *Ind. schol. in Acad. Georgia Augusta per semestre hibernum* I, p. 7 : « Creticorum simplices parumque culti numeri nullam aurem fugere possunt. »

accentus. Ceterum cum trochaei prioris dissolutionem retinuerit, patet id temporis nondum accentuum ponderi maximum cumulum accidisse; uerumtamen mirum quiddam uimque accentuum significans in hac symmachiana dissolutione saepius apparet : ◡́◡ ◡ ◡◡̀ –́ ∾ quae, cum priscis temporibus propter geminam cretici dissolutionem iniucunda uideretur [1], postea ideo magis placere potuit, quod accentibus ditrochaicam adsimularet : ∾ ◡ ∾ | ∾ ∾ – ∾.

II

His igitur confectis quaestionibus, uia patefacta est ut et haec cum illis conexa soluatur, quae fuerit in priscis numeris accentus cottidiani ratio : de qua inter peritos rei metricae uiros uehementer nunc ambigitur. Eorum enim quidam, Curtii Bentleii Ritschelii [2] sectam secuti, cum latinos accentus aliqua uocis intentione potius quam elatione uelint antiquis etiam temporibus esse constitutos, opinati sunt scriptores latinos cum in uersibus tum in soluta oratione prouidisse ut ictus pedum cum cottidianis accentibus aliqua ex parte concinerent. Alii uero ueteribus dicendi scribendique magistris assentiri uidentur, qui tantum non omnes elata uoce acuendos esse accentus docent, neque in pangendis uersibus aut oratione rotunda, ponderi accentuum quicquam tribuunt [3]. Neutri tamen hoc in genere satis profecerunt ut nunc quidem quaestio haec absoluta confectaque uideatur; quan-

---

[1] Hanc tamen apud ipsum Ciceron?m reperies : *De Or.* II, 16, 70 *facere didicisset*; 23, 94 *genera uiguerunt*, etc.

[2] Bentley, *Schediasma de metris Terentianis*, Cantabr. 1726; — Hermann, *Opuscula*, I, 121 ; *Elementa doctrinae metricae*, 1816 ; — Ritschl, *Prolog. ad Trinum.* 1849, ch. xv, pp. 206-250 ; *Kleine Schriften* (1868) II, p. xii ; — Schoel, *Act. doc. phil. Leips.* VI, p. 25 ; Langen, *Philol.* XLVI, pp. 408-sqq; G. Wuest ; J. Wolff ; Skutsch ; Lindsay ; Klotz ; alii.

[3] Weil et Benlœw ; L. Mueller, *De re metr.*, p. 233; Corssen, *Ueber Ausspr.* II, 948-sqq ; W. Meyer, *Ueber die Beobachtung des Wortaccents*, etc.; Havet) cf. in primis *Romania*, XXIX, 579) ; Vendryes, *Recherches sur l'histoire et les effets de l'intensité initiale en latin* (Paris 1902) ; alii.

quam omnium fere summa consensio est, progrediente tempore rem eo deuenisse, ut accentus latini intenta uoce appellarentur; atque hoc accidisse credendum est circa IV uel V p. Chr. n. saeculum, iis scilicet temporibus quibus Sedulius noster floruit ac scripsit. Equidem quod ad latinos uersus attinet, neutram partem assequor[1]; de soluta autem oratione, ego me a prioribus uiris doctis stare fateor, quibus placuit fuisse aliquam accentuum intentionem quae cum ictibus pedum conueniret. Neque sententiam meam labefactat id quod saepe animaduersum est, ueteres magistros de accentu nihil praecepisse. Videmus enim accentum rerum natura sic esse constitutum, ut auribus uel minime teretibus sine praeceptorum ui facile perciperetur[2], ut si nostrorum carminum numeros, qui maxima ex accentu dignitatem suauitatemque sumunt, dicas extra accentum omnino uersari, quod nostri grammatici hac in re rationes accentuum silentio praetereant. Verum enimuero tot inter et tantas perturbationes quae uicissim et antiquissima aetate, et aurea quae dicitur, et argentea et postrema denique latinitatem commouerunt, quanta cum ui accentus siue acutus siue intentus uoces singulas occupauerit, et suo quasi pondere syllabas in unum coaceruarit, hoc nec quisquam infitiari potest, et nobis documento est ut praeiudicare possimus momentum fuisse accentus cottidiani aliquod in permulcendis auribus[3], eiusque concinnitatis siue crebritatis rationem habitam esse saltem aliquam, ab iis qui siue

---

[1] Mihi tamen ualde probatur id quod de ui accentuum scripserunt I. I. SCHILCHER, *Americ. Journal of Phil.* 1902, pp. 46-47, 142-150, et nouissime E. DE JONGE, *Musée Belge*, 1903, pp. 266-277.

[2] « Die altlateinische Aussprache der Silben was fein und musikalisch : in *radios* und *meos* die ersten Silben kurz, die letzte lang zu sprechen und zugleich doch den Wortaccent auf die erste kurze Silbe zu legen, das verlangte eine feine Zunge.... Von den beiden Mächten, Quantität und Wortaccent, musste eine die Oberhand und die Herrschaft gewinnen. Der Wortaccent war es, der gesiegt und im 3. und 4. Jahrhundert nach Chr. immer mehr die Aussprache des Lateins sich unterworfen hat. » W. MEYER, *Frag. Bur.*, p. 146. Cf. CIC. *Or.* 51, 173. *Nec uero multitudo pedes nouit, nec ullos numeros tenet*; .... et tamen omnium longitudinum aut breuitatum in sonis, *sicut acutarum grauiumque uocum iudicium* ipsa natura in auribus nostris collocauit.

[3] Cf. CIC. *Or.* 18, 58.

prosa oratione siue etiam uersibus iucunde scribere uellent. Itaque primi omnium tresuiri summi Bentleius, Hermannus, Ritschelius docuerunt apud scaenicos poetas ualuisse accentum cottidianum, ut de Plautinis quidem Terentianisque numeris dubia haud pauca enodare uiderentur.

Ac de soluta quidem oratione Hermannus haec considerate scripsit : Hoc quidem in promptu est, neque indiget demonstrationis, metrum poeseos esse, numerum metro solutum prosae orationis. Sed quid sit, quo metrum ab orationis numeris differat, nondum quisquam ex tot tamque praeclaris rhetoricae artis doctoribus satis uidetur explanasse. Nam quae e Graecis Aristoteles, Demetrius, Dionysius Halic., Longinus aliique, ex Romanis autem in primis Cicero et Quintilianus de hac re disputauerunt, iis uereor ne perturbauerint magis hunc locum, quam expediuerint. Scilicet non est mirum, si artis rhetoricae doctores, qui ad accentum non attenderent, prosae orationis numeros a poeticis non potuerunt satis accurate distinguere. Poeticus numerus hic est, qui neglecto accentu, mensurae quibusdam uarietatibus continetur. Huius lex et ratio certis durationibus certoque ordine sonorum comprehensa est. Eaque ratio metrum uocatur. In prosa autem oratione numeri accentu reguntur, qui cum nec tollere plane syllabarum mensuram, neque ab ea ipsa tolli possit, numeros efficit e duplici numerorum genere, mensura accentuque constantes, in quibus potiorem locum accentus, secundarium mensura tenet. Itaque inminuta mensurae seueritate unde oratorium numerum Cicero remissiorem, Aristoteles ῥυθμὸν μέχρι τοῦ uocat, quod de pulchritudine metrici numeri detrahitur, rependit uis accentuum aucta uerborum significationis potestate, et eo decursu uerborum instituto, qui ad sententiae intellegentiam est potentissimus. Quamobrem distinctiones non habet alias, nisi quae orationis quoque diuisiones sunt [1].

Quapropter qui Ciceronianos numeros primus adgressus est G. Wuest, iam a Ciceronis temporibus accentum in solutae orationis clausulis ualere arbitratus est ; nec tamen sententiam suam firmis argumentis declarauit. Is enim cum anima-

[1] *Opuscula*, t. I, pp. 121-123.

duertisset Ciceronianas clausulas molossorum terminatione saepius concludi quam eius pedis in latinis uocibus raritas ferret, ideo censuit Ciceroni molossos eiusmodi in exitibus magis placuisse, quod acutam haberent paenultimam : quae ratio neque peritis rerum metricarum neque mihi probatur [1]. Nec tamen dubitationem mihi tollit ille Wuestii deprehensus error ; namque licet ipse a recta uia discesserit, aliquid tamen uero propius potuit suspicari. Atque miror quod Wolffius eodem recciderit, qui postquam in clausulis statuendis diuisiones uocabulorum neglexerat, cum earum naturam perscrutatus est, ita caesurarum atque accentuum uim agnouit, ut de incisionibus quaedam inchoaret, atque pro certo haberet in clausulis quoque Ciceronianis accentum obseruari.

Nec tamen omnia eius exempla probo ; sed mihi res aliter sese proponit. Namque si studiosi numerorum scriptores omni ope elaborauerunt ut caesuras uerborum in singulis pedibus easdem plerumque seruarent, utque habita caesurarum ratione extremos singulos pedes nunc totis nunc resecatis uocabulis postremis conficerent, illo pacto fieri non potuit quin accentuum ratio eadem in singulis clausularum generibus permaneret.

Proinde quid ipsi ueteres doceant percrutemur, illamque repetamus quam ex Cicerone et Quintiliano promsimus tabulam (p. 23) : ex qua si dochmios detrahas, primum nullos esse priores pedes uidebis, qui non ab acuta syllaba ordiantur, praeterquam cum fortasse in thesi fit paeon ex cretico : ⏑́́ ⏑ ⏑⏑́ | – ⏑ – ⏓ : nam in ea dissolutione quae a trochaeo – ⏑ = ⏑⏑ ⏑ (uel a spondeo – – = ⏑⏑ –) proficiscitur, concinit arsis cum accentu. Quod uero ad dochmios attinet, ipsis exemplis compellor ut sentiam primam breuem syllabam esse superuacaneam, propterea quod iambus posterior antecedente spondeo per se plane numeros absoluit, ut Bornecquio, Haueto, aliis uisum est : *ārmīs fŭi*. In hoc enim mirum est quod Quintilianus clausulam incipiat a superiore syllaba quarta

[1] Cf. Bornecque, *La prose métrique dans la corr. de Cic.*, p. 194 ; — Norden, *Die ant. Kunstpr.*, p 931, n. 1 ; E. de Jonge, *Mus. Belge*, VI (1902), pp. 271-2 ; J. Vendryes, *Recherches sur l'intensité initialc*, etc. (Paris 1902), p. 72.

quae est *ăr*, non ab illa quinta quae est *ĭn*, cuius tamen accessione dochmius etiam fieri posset : *ĭn ārmīs fŭi* ; uerum enimuero tum demum dochmium esse arbitratus est cum traiciendo uerba sic conclusit : *īīsdēm fŭi*, ut priorem syllabam, si eiusdem esset uocabuli, tolerandam esse concederet. Atque idem fere accidit in eo simili quod est *uĕnēnūm* | *tĭmēres*, in quo pro pede totum habetur uocabulum prius : fac uero bacchium illum uocula una superiore augeri, fiunt e quattuor syllabis pedes duo, quarum arses cum accentibus concinunt : *ūt–uĕ* | *nēnūm* | *tĭmēres*. Sin autem numeranda sit dochmii prima illa syllaba, quae est *uĕ*, haud scio an in hoc eueniat obscurum aliquid, anacrusin quam dicunt, assimulans. Sed ne me longius proueham, ille dochmius apud Ciceronem tam insolens est, ut eius nomen, quippe quod sensu careat, a quibusdam uiris doctis ad aliud clausularum genus nuperrime translatum sit : hoc genus dico, satis tritum, ⏑́⏑ | ⏑́⏑⏓ *turpe diceret* [1].

Quare cum assentiar Wolffio creticum soluenti in his quae sunt *tantŏpĕrĕ lăborant, intolerabĭlĭă uĭdentur*, etc., non possum quin a choriambis abhorream huiusmodi : *īntĕrĭūs mente,* quos uideo exemplis Quintiliani refelli *(ĕtĭăm nōta)*. Neque uitiosa puto, uerum cum accentibus consona, ea quae sunt ut *ōptĭmă pŭtābătur*, in quibus cum legitima sit spondei prioris dissolutio, non est quod dactylus ille prior, accedente quae insequitur breui, in alterum paeonem amplificetur. Sed in hoc maxime a Wolffiana sententia discedo, quod choriambum eicio eum quem ipse præ ditrochaeo ratus est esse legitimum [2].

Huc accedit quod eiusmodi choriambos Cicero tam insolenter adhibuit, praequam quod ceteros pedes frequentauit, ut inde mihi multo magis augeatur suspicio. Quapropter hac in re periculum est ne quis superuacaneam pedi priori syllabam iniuria tribuat, atque illud pro certo affirmare licet in

---

[1] Cf. WOLFF, *De claus. Cic.*, p. 582 ; DE JONGE, *Mus. Belge*, VI (1902), p. 267, n. 2 : « Cette dernière clausule est moins fréquente et a fini par disparaître. » — Eius clausulae rarissimae quis fuerit Sedulianus usus, infra ostendam, pp. 90-91.

[2] Cf. quod scripsi modo, p. 56.

his quae sunt [–] ⏑́⏑– | ⏑́∼, [–] ⏑́⏑–̀ | ⏑–∼, in quibus cum uocem bisyllabam uel trisyllabam spondeus antecedere soleat, maxime quidem conuenit anapaestus spatio par non syllabis, mensuram uero excedit choriambus et syllabis et spatiis nimius. Atque in eo quod est [–́] ⏑́⏑– | –́⏑∼ adducor ut credam superuacaneam esse priorem syllabam, propterea quod Tulliani moris est ut in his cum deficiat prior creticus, potior videatur esse spondeus, cuius par anapaestus est.

Pauca nunc de postremo dicam pede, cuius arsis ita cum accentu consonat, ut ad summam sic habeamus, hunc etiam pedem ab acuta syllaba plerumque ordiri. De illa enim clausula quae est –́⏑–̀–́∼, quae cretico et spondeo constat, satis exploratum est spondei semper acuendam esse priorem syllabam. Neque aliter sese res habet in clausula dicretica, cuius creticus prosterior primam acuit. De ceteris autem clausulis cauendum est ne nos rerum species a uero abducat : namque in iis quae sunt –́⏑̀ | ⏑́⏑⏑∼ = –́⏑̀ | –́⏑∼, cum ex posteriore cretico paeon fiat, quanquam leue quoddam accentus uitium inde nascitur, hanc tamen habet ueniam, quod totum a legitima dissolutione proficiscitur, et hac quidem accentuum ratione dicreticam adsimulat. In ea uero quae est –́⏑–̀ | –́⏑̀–́∼, ditrochaeus posterior cum quattuor conficiatur syllabis, bipartito fit, ut fortasse trochaeo etiam priori aliquis accentus quasi secundarius accedat, *cómprobáui* [1].

Satis mihi uideor explanasse quaenam fuerit accentuum ratio in iis etiam clausulis quas Cicero potiores habuit; quae fere omnes (ne multus sim) initium ab accentu uocis superioris sumunt, atque alteram arsim cum posterioris uocis accentu explent. Sed, ut iam diximus, accentuum rationi interdum dissolutiones repugnant, praesertim cum creticus in paeonem deducitur. Hoc tamen renouabo, sensim obsoletas excidisse dissolutiones quaecumque obstarent accentibus; eas uero permansisse quibus in clausula seruaretur sollemnis syllabarum numerus. Pondus autem accentuum per decursum temporum quam auctum sit, tum praecipue cum iam impressione uocis intenta potius quam acuta efferri coepti

[1] Corssen, *Ueber Ausspr.*, etc., V ii, pp. 827-828.

6

sunt, sane percipies si creticum attenderis priorem qui iam inde a saeculo p. Chr. n. tertio fit ex trisyllabo uocabulo mediam habente breuem (∾∪∾) : ut e tribus spatiis illud tantum incolume resideat, cuius ui integer seruetur accentus ∾∪∾[1] : quod etiam accidisse in Symmachianis epistulis testatus est L. Havet. Atque eiusdem rei hoc etiam documento est, quod perierunt ea genera clausularum quaecumque a triplici illo genere quod descripsimus abhorrerent, quaedam uero superfuerunt, quae ad nouos numeros propius accederent. Sic paene defluxerunt uocabula postrema bissyllaba, nisi cum creticus antecederet sine purus sine liber, ut accentibus spondiacam adsimularent clausulam ∾∪∾ | ∾∾. Quare igitur uetitum sit illud *mōrĕ nōn pŏtĕst*, legitimum hoc *mōrĭbūs pŏtēst*, quanquam anquirens causam haeret Ludouicus Havet[2], ego tamen compellor ut sentiam Symmachum in his accentuum rationi morigeratum esse : namque sollemnes accentus seruantur in hoc exemplo *móribus pótest*, in illo fortasse enclisis ui turbantur *móre nón-potest*

Itaque cum aliqua ex parte assentiar Bornecquio, qui nouissimam (ut p. 11 dixi) de infringendis metris legem rogauit fateor hac lege partem rerum uix dimidiam enodari[3] : sin aliter, cum suauitas in uersu maxima e metris oriatur, in soluta metris oratione quae iucunditas esse possit ? Vtrumque igitur in clausulis antiquitus cautum esse teneo, ut et accurate metra confringerentur ne oratio in uersum uel in uersuum similitudinem incideret, et aliqui tamen seruarentur numeri, quibus ipsa quadrari et perfici et apte cadere posset. Eorum uero numerorum, qui solutis etiam metris stare potuerint, nullam fuisse aliam rationem uideo, nisi

---

[1] « Ein viersilbiges Wort von den Formen –∪̄–∾ oder ∪––∾ dem... nur ein Wort mit vorletzter kurzer Silbe vorangehen durfte » (W. Meyer, *Frag. Bur.*, p 154). Cf. L. Bayard, *Le lat. de S. Cypr.*, pp. IX et 299.

[2] Cf. Havet, *Symm.*, p. 101. Mihi uero sumpsi ut uocabulum exempli postremum commutarem. Scripsit enim Hauetus *more non-fuit*, in quo de enclisis ratione animi pendeo : Sedulianis uero exemplis teneo acuendum esse *nón potest*.

[3] « L'hypothèse de M. Bornecque..... a le mérite de montrer la raison négative du choix de certaines finales. » E. de Jonge, *Mus. Belge*, VI (1902), p. 276.

accentuum percussiones, quas ut argumentis euincerem enixe contendi : atque eas sentio fuisse structurarum uelut ossa perpetua et solida certis uariisque spatiorum copulationibus ornata, et quasi compagibus quantitatum artificiosis inclusa[1]. Atque haec quidem de priscis numeris ; neque enim id secutus sum ut de Cicerone deque iis qui post eum numerose scripserint, rem omnibus ex partibus conficerem, qui satis habui ut Sedulianas clausulas pertractarem : illa uero inchoata uolui, ne quis eam accentuum spatiorumque concinnitatem Sedudianis temporibus uitio uertat, quam iam inde ab incunabulis clausularum ualuisse comperimus.

III

Proinde nunc Sedulianum usum uideamus, atque primum inquiramus quatenus in Opere Paschali seruentur prisci numeri.

Si tabulam igitur nostram[2] repetere uelis, in qua clausulas spondiacas uel earum similes comparaui, primo conspectu apparebit ex illis (quae sunt 1070) plerasque (siue 893) ad ueteres purosque numeros esse conformatas, atque eas in primis quae sunt –́ ⏑ –̀ –́ ∾ (numero 799), siue sollemniorem caesuram (750^{es}) siue alteram rariorem (49^{es}) tenent. Hoc etiam nobis ante oculos obuersatur, Sedulium omni ope elaborauisse ut initio spondiacae clausulae (quae obuenit 1012^{es}), trisyllabos pedes praeponeret, eosque, ut potuit, priscis spatiis legitimos, uel creticum purum (799^{es}), uel anapaestum (36^{es}) uel antibacchium (semel) ; de ceteris uero parum curaret; bacchium enim 16^{es}, dactylum 4^{es}, amphibrachyn semel adhibuit. Neque mirandum fortasse erit, si praeter consuetudinem illam hoc accidere uideatur, ut spondeum posteriorem haud raro (155^{es}) antecedat molossus, cuius ut syllabam mediam esse in dicendo leuiter obscurandam comprobem,

---

[1] Cf. Bayard, *op. cit.*, p. 301-303, et p. 301 n. 3.
[2] P. 50.

spero me mox consecuturum (pp. 81-84). Similia uero genera quae iambum in exitu nonnunquam patiuntur (57es), penitus ex priscis nata sunt numeris, siue creticus antecedit (50es) siue anapaestus (7es). Denique residuae sunt uariorum generum clausulae sex, quarum duae ad priscos et ipsae cadunt numeros, altera ex dactylo et iambo, ex amphibrachy et spondeo altera. Quattuor male concludunt heroico ritu; atque in his iam uides quanta cum cura priscis numeris obsecutus sit Sedulius, qui summo opere contendit ut heroicos exitus ciceret, quanquam eorum copiam latinus sermo poetis suppeditabat. Sedulius igitur hoc in genere ueteribus spatiis ita seruiuit, ut puras atque priscas clausulas spondiacas uel iambicas arcesseret fere *octogiens quater in centenis*.

Venio nunc ad eam clausulam quae est –́ ⏑ | ⏑⏑́ –́ ∾[1], quam ego cum viris earum rerum peritis a spondiaca fluxisse accipio; qua Sedulius 24es pura usus est, 10es uero impura, ita tamen ut quosdam legitimos aliorum generum numeros in eam detorqueret; ter enim conclusit –́ ⏑ | – ⏑ –́ ∾, bis –́ – | – ⏑ –́ ∾, bis –́ – | – – –́ ∾, quae spatiis legitimis diuersa, accentibus tamen eodem recidunt.

Nunc adgrediamur clausulas dicreticas[2], quarum similes esse ui accentuum multas alias comperiemus. Sunt enim, quae accentibus dicreticos referant, clausulae Sedulianae 1190, ex quibus uix 346 puris conficiuntur creticis. Neque tamen a uetere consuetudine deflectunt ea quae sunt –́ – | –̀ –́ ⏑ ∾ (numero 161); neque, si credas Bornecquio, a quo Wolffius ipse non dissentit, ea anapaestica quae est –́ ⏑ | –̀ ⏑́ ⏑ ∾, quam item volunt uiri docti a spondiaca esse oriundam; cuius ne Tullianum quidem sermonem esse expertem uidemus. Hanc autem Sedulius ita frequentauit, ut in Opere Paschali choriambicae clausulae obueniant 331. Neque omittendae eae quae ex spondeo constant et uoce choriambica (numero 104), quas ipse Tullius non adeo declinauit. Accentibus etiam dicreticam referunt eae copulationes spatiorum, quarum in exitu uox adhibetur diiambica : in

---

[1] P. 50.
[2] P. 51.

quibus ueteres ne trochaeum praemitterent summo opere contenderunt, puto, ne huiusmodi consecutionibus asclepiadis minoris exitum imitarentur. Sedulius uero hac in re satis habuit ut prior pes esset bisyllabus, cuius ipsa latinitatis natura prior acueretur syllaba. Sed (quod apud veteres usu receptum fuit) spondeus diiambicam uocem in Sedulianis clausulis anteuertit nonnunquam (34es). Quartus uero paeon in exitibus cum Ciceroni fuerit iniucundus, apud Quintilianum tamen aliquam gratiam habuit, quippe qui (ut opinor) possit exeuntis cretici partes agere (–́ ⏑́ | ⏑́⏑ ⏑ ~), atque trochaeum, spondeum, adeoque pyrrichium excipere : *mĕă* | *făcĭlĭtās*. Licet igitur quartus ille paeon ab alio claudendi genere obsoleto proficiscatur quod est –́ ⏑́ | –́ ⏑ ~, cum tamen accentibus epitritum adsimulet, non est quod illud a legitimis clausulis abiudicemus : quarum si summam collegeris, uidebis esse in Opere Paschali dicreticas clausulas, uel earum similes quae tamen alia ueterum spatiorum genera referant, 1025 ex 1190, atque hoc in genere Sedulianos numeros priscis quantitatum legibus adstrictos esse in centenis *octogiens septiens*.

Clausulas uero ditrochaicas[1], a Sedulio minus frequentatas (781es), priscis etiam numeris plerumque esse legitimas, pro certo affirmare licet. Namque ceteris antecellunt eae copulationes quae ex ditrocheo et cretico fiunt (180). Neque tamen a prisco more decedunt eae quae sunt ex anapaesto (137) uel ex dactylo (109) ; raro autem accidit ut ditrochaeus tribrachyn excipiat (28es), neque de illo usu satis constat. Dispondiacae clausulae, quas ipse Tullius haud semel adhibuit, Sedulio nostro satis iucundae fuerunt, neque a priscis numeris discedunt, siue praemittitur dispondeo creticus (ut Seduliani moris est 76es), siue anapaestus (61es), siue dactylus (50es), siue tribrachys (23es). Atque in ueteribus etiam numeris reponendae sunt consecutiones in epitritum exeuntes quem uocamus primum : quem in priscis numeris antecedit nunc creticus (et in Opere Paschali 26es) nunc anapaestus (26es), nunc dactylus (8es). Immo nec ueteribus repugnabat ea con-

---

[1] P. 52.

secutio quae fit ex ionico a minori, dum modo antecederet paeon primus (siue anapaestus) uel creticus, quod in OPERE PASCHALI uidemus accidisse 19es. Sunt igitur in Sedulianis libris clausulae ditrochaicae uel earum similes ex prisca etiam consuetudine numerosae, 719 ex 781, siue priscis spatiis hoc in genere consuluit Sedulius fere *in centenis nonagiens.*

Nunc ex rebus in summa compositis redundat Sedulium ueteribus numeris morigeratum esse *in centenis octogiens septiens* : atquo hoc probato consequens est ut credamus Sedulium id secutum esse, ut spatiis diligenter consideratis plerumque clauderet; nisi quis fortasse in disputando pertinax a nobis dissentiat, quod latinae uoces saepe etiam ipsa rerum natura quasi sponte ueniant ad numeros. Quapropter hoc etiam nobis refellendum ; quanquam illa quidem latinitatis natura uix percipi potest, nisi excutiantur singula linguae uocabula. Summum uero periculum est, ne tot inter tamque uarias dinumerationes a ueritate deflectamus, cum ceteris de causis, tum praesertim quia pro temporibus plura uel pauciora fuere latini sermonis uocabula ; atque in singulis habenda etiam ratio declinationis, cuius ui prope in infinitum crescere poterat pedum singulorum naturalium numerus. Ad hoc tamen opus faciendum accessit H. Bornecque, rei scopulos haudquaquam ueritus : cui me fidem hac in re habuisse fateor, ut ex eius dimunerationibus elicerem quatenus uocabula sint in latino sermone sua sponte numerosa. His igitur instructis copiis artem Sedulii cum natiua latinorum numerorum proportione conferamus [1].

---

[1] In hac tabella clausulas cuiusque generis praecipuas proponere satis habui ; apicibus notantur percussiones accentuum.

<table>
<tr><th></th><th>CLAUSULAE</th><th>Proportio Seduliana %</th><th>Proportio natiua %</th></tr>
<tr><td>1</td><td>–́ ∪ | – –́ ∾</td><td>70,1</td><td>11,1</td></tr>
<tr><td>2</td><td>–́ ∪ – | –́ ∾</td><td>4,6</td><td>25,8</td></tr>
<tr><td>3</td><td>–́ ∪ – | ∪́ ∪́</td><td>2,9</td><td>12,8</td></tr>
<tr><td>4</td><td>–́ ∪ | – | ∪́ ∾</td><td>1,1</td><td>7,8</td></tr>
<tr><td>5</td><td>∪́ ∪ – | ∪́ ∾</td><td>0,7</td><td>8,1</td></tr>
<tr><td>6</td><td>∪́ ∪ – | –́ ∾</td><td>3,7</td><td>15,7</td></tr>
<tr><td>7</td><td>–́ – | – –́ ∾</td><td>14,5</td><td>16,3</td></tr>
<tr><td>8</td><td>–́ ∪ | – –́ ∪ ∾</td><td>29,1</td><td>11,3</td></tr>
<tr><td>9</td><td>–́ ∪ | – ∪́ ∪ ∾</td><td>27,8</td><td>14,2</td></tr>
<tr><td>10</td><td>–́ – | – –́ ∪ ∾</td><td>13,5</td><td>16,8</td></tr>
<tr><td>11</td><td>–́ – | – ∪́ ∪ ∾</td><td>8,7</td><td>19,7</td></tr>
<tr><td>12</td><td>–́ – | ∪ ∪́ ∪ ∾</td><td>2,9</td><td>15,8</td></tr>
<tr><td>13</td><td>–́ ∪ | ∪ –́ ∪ ∾</td><td>6,1</td><td>10,3</td></tr>
<tr><td>14</td><td>–́ ∪ – | – ∪ –́ ∾</td><td>23,2</td><td>14,4</td></tr>
<tr><td>15</td><td>∪́ ∪ – | – ∪ –́ ∾</td><td>17,7</td><td>7,6</td></tr>
<tr><td>16</td><td>–́ ∪ ∪ | – ∪ –́ ∾</td><td>14,1</td><td>4,1</td></tr>
<tr><td>17</td><td>–́ ∪ – | – – –́ ∾</td><td>9,7</td><td>13,5</td></tr>
<tr><td>18</td><td>∪́ ∪ – | – – –́ ∾</td><td>7,8</td><td>6,2</td></tr>
<tr><td>19</td><td>–́ ∪ ∪ | – – –́ ∾</td><td>6,4</td><td>4,1</td></tr>
<tr><td>20</td><td>∪́ ∪ ∪ | – – –́ ∾</td><td>2,9</td><td>3,4</td></tr>
<tr><td>21</td><td>–́ ∪ – | ∪ – –́ ∾</td><td>3,6</td><td>13,7</td></tr>
<tr><td>22</td><td>∪́ ∪ – | ∪ – –́ ∾</td><td>2,5</td><td>6,8</td></tr>
<tr><td>23</td><td>–́ ∪ ∪ | ∪ – –́ ∾</td><td>1,0</td><td>4,1</td></tr>
<tr><td>24</td><td>∪́ ∪ ∪ | ∪ – –́ ∾</td><td>0,9</td><td>3,4</td></tr>
<tr><td>25</td><td>∾ ∪ ∾ | ∪ ∪ –́ ∾</td><td>2,4</td><td>8,7</td></tr>
</table>

Ex hoc conspectu quaedam animadversione satis digna in sententiam nostram redundant : namque primum Sedulius natiuis numeris adeo uim intulit ut contra rerum naturam sollemnissima claudendi genera potissime adscisceret, eaque ad ueterem normam, quam maxime potuit, pura et legitima adhiberet : documento in primis sunt clausulae quas numeris distinximus 1, 8, 9, 14, 15, 16, 18, 19, quae coniunctae in centenis obueniunt *quater et sexagiens*. De ceteris autem priscorum numerorum generibus, quae fiunt in centenis *ter et uiciens*, primo statim obtutu eminet atque extat Sedulium elaborauisse, non ut ea penitus reiceret, uerum ut iis facile careret : atque in illis tantum aberat ut scriptor ad natiuos numeros ipsa rerum natura pelliceretur, ut contra quodcumque ex iis erat obuium hoc Sedulius accurate refugeret. Exemplo sunt haec claudendi genera quae numeris insigniuntur 6, 11, 12, 17, 21, 22 : quae cum prisco more legitima sint habenda, Sedulio tamen minus placuerunt, utpote quae a sollemnibus formis nimium abhorrerent. De generibus autem quae numeris

notata uolui 7 ac 13, supersedeo dicere donec de Sedulianis accentibus disputare instituam.

Satis igitur constat Sedulio scienti atque uolenti curam spatiorum fuisse in claudendo maximam : spatia uidelicet dico, ut temporibus illis a litteratissimo quoque accipiebantur.

Namque primum breues syllabas ante uerba ab *st*, *sc*, *sp* incipientia producere sustinuit Sedulius, quod quidem et epicos auctores saeculi p. Chr. n. primi a maiestate carminis non alienum duxisse putat Luc. Mueller p. 320 [1]. Sic in PASCHALI OPERE prioris trochaei syllabae etiam prisco more breues nusquam uerbo excipiuntur quod ab *st*, *sc*, *sp*, incipiat. Notandum tamen ante uerba a *gr*, *pr*, *tr*, etc. incipientia, ut uocales uerbi superioris breues producuntur nonnumquam in CARMINE, si metrorum necessitas expostulet, sic in OPERE PASCHALI rem plerumque accidisse. Etenim in CARMINE legitur V 212 *amborum meritā praecelso ;* V 290 *corpus, sanguis, aquā tria ;* quae productiones in arsi fiunt ; in prosa uero uocales eiusmodi producuntur a Sedulio uel imminuuntur pro eo ut mos claudendi postulat. Haec igitur breuianda esse puto : II III, 199 12 *uentrĕ praecordia*, II VIII, 207 6 *istă praedixerit* ; XVI, 219 7 *generosă prosapies ;* XVII, 227 12 *crebră praesumptio ;* III X, 240 7 *abundarĕ praesumptio ;* XXVII, 253 3 *cunctosquĕ praecellere ;* I I, 177 19 *spiramenta fragrantes* ; V XXVIII, 303 4 *redituque gratissimo* [2]. Adeoque intra uocabula constat eiusmodi spatia fuisse necessitate clausularum inminuenda uel producenda : II VI, 202 7 *moles et pīgra ;* V XXXVIII, 302 16 *astra mīgrare ;* IV XVI, 266 20 *festinatione rēgrediens ;* I XVIII, 187 11 *sectatus āgrestia ;* — IV XVI, 266 10 *uidere lēprosi* (Cf. CARM. IV 191) ; IV XIX, 269 9 *prōprio permanere* ; V XI, 284 7 *facinoris quam pātrasti ;* I XXVIII, 192 15 *aedificantibus rēprobatus ;* — II XIII, 214 10 *uideatur in pātre ;* V XVII, 287 21 *gentium pātrem ;* III IX, 239 13 *pātris orbati ;* I XXIX, 193 16 *patris est Christus* ; (id. V I, 274 14) ; II XVII, 222 7 *supplicat pātri ;* V I, 274 9 *confidenter ad pātrem* ; V I, 274 10 *specialiter patris* ; II XIII, 213

---

[1] HUEMER, *De Sed. poetae uita et scriptis*, p. 113.
[2] Cf. HAVET, *Symm.*, pp. 14-15.

21 *Pătris asseritur;* V xxiii, 293 3 *pătre conciperis;* I i, 177 9 *pătre potentia;* V xxii, 292 10 *rĕtrŏ iam semita*[1]; V xviii, 290 5 *uiolentiam perpĕtrarunt;* III vii, 237 17 *meritis impĕtrauit;* V iii, 276 1 *flagitii perpĕtrarat;* III x, 240 11 *arduis impĕtrandis*; V xviii, 290 3 *motibus ut-lătrones;* IV xvii, 267 16 *impĕtras quod optaris;* — III x, 240 18 *muliĕbris ignaris;* IV xxi, 271 14 *fĭbris infusa;* I ii, 179 5 *făbricam condidisti;* I xx, 188 21 *machinis făbricata;* — I xix, 269 16 *lŭcra deperdens*; III xviii, 246 13 *uolŭcris carnem*; I xvii, 186 20 *săcra contemneret;* V xi, 284 10 *săcro debueras;* V xxi, 291 16 *nimis est exsĕcrande;* V xv, 285 17 *beatudine consĕcratum;* II v, 201 4 *puerperio consĕcrata*; V iii, 275 15 *corripiens exsĕcranda*; V x, 282 7 *protulit exsĕcrandum;* V ii, 275 2 *traditor exsĕcrande*, V xv, 285 12 *criminis exsĕcrandi;* V xviii, 288 19 *mordacibus exsĕcrandis:* III xxi, 248 12 *suppliciter obsĕcrabat;* V viii, 279 21 *facilius impĕtraret;* V xxiii, 292 21 *stimulus exsĕcrandus;* II x, 211 3 *pelagus lăcrimarum;* IV xxi, 271 5 *lăcrimas ut amicus.*

Deinde Sedulius, ut in Carmine, sic in prosa breues habuit uel longas gerundiuorum datiuos et ablatiuos. Legimus enim in Carmine: I, 350 *sperandŏ*, V, 62 *lustrandŏ*; V, 62 *praedicendŏ*, etc. Ibidem breuiantur pro necessitate uocales illae *o* quae in fine sunt nominatiuorum, uel aduerbiorum quorumdam: III, 92 *imagŏ*; IV, 217 *oratiŏ*; II, 183, 220, 285, etc. *ergŏ*; etc. Teneo igitur haec pro numeris esse nunc corripienda nunc producenda: Ep. ad Mac. 171 14 *praetereundŏ lustraui*; I ix, 183 19 *nesciendŏ cernebat*; II viii, 206 6 *mentiendŏ facturum*; III xvi, 245 13 *saeuiendŏ congessit*; IV ii, 257 2 *spargendŏ seruatur*; I xxvii, 191 5 *miserandŏ defleuimus*; V xvi, 286 13 *lacerandŏ concordiam*; V ix, 281 3 *festinandŏ per maria*; I xxvii, 191 3 *increpandŏ iam satis est*; — II vi, 201 14 *sermŏ testatur*; II xiv, 216 10 *homŏ respondit*; II vi, 202 24 *sermŏ prosequitur*; vii, 275 7 *sermŏ dauiticus*; I xxxi, 196 1 *leŏ mirabilis*; V x, 281 8 *dracŏ nouissimus*; — I ix, 183 18 *multitudŏ transgressa*; III iii, 234 5 *aegritudŏ discessit*; V xvii, 287 1 *magnitudŏ testetur*; V xxix, 297 20 *uirgŏ conspicitur*; V xviii, 288 8

---

[1] Cf. id quod mox dicturus sum p. 74.

similitudŏ sententiae; II II, 198 19 *uirgŏ dilueret*; II XIII, 213 19 *mausuetudŏ simplicitas*; II I, 197 10 *origŏ tunc periit*; I I, 176 6 *consuetudŏ gentilium*; — V X, 282 1 *confessiŏ cum legatur*; II XVII, 230 3 *lectiŏ declaratur*; V XVII, 286 20 *ratiŏ sācramenti*; — IV XXII, 272 2 *aliquandŏ regnanti*; V X, 283 3 *modŏ iam rèus*; V XXVI, 295 10 *ergŏ perspicue*; V XXXVIII, 303 1 *ergŏ discipuli*; III I, 232 7 *ergŏ tunc latices*; V XXXIV, 300 10 *ergŏ miraculi*; III XIV, 243 6 *ergŏ sic ammonet*; V XXII, 292 10 *rētrŏ iam semita*; III IX, 239 15 *modŏ deficiens*; II XVII, 222 11 *modŏ mitissima*; V XXVII, 296 5 *ergŏ mulieres*.

Ut in CARMINE, sic in prosa distinguitur tribus syllabis id quod est *sŭāuis* (cf. CARM. I 290; OP. V XXI, 291 13 *sŭāuia*; IV XVI, 267 8 *cibus sŭāuis*). Atque idem de genetiuis in *ii* dicendum, quanquam una syllaba genetiuos eiusmodi Cicero aliique scriptores optimi appellare consueuerant, quod maxime attendendum esse eis qui numeros oratorios cuperent intellegere, primus nos admonuit Bentleius [1]. Sunt autem in OPERE PASCHALI exempla genetiuorum eiusmodi 19, e quibus nouem habenda esse bisyllaba justis de causis tenemus, ut ceterorum eandem fuisse rationem suspicari fortasse liceat. Namque ipsis numeris docemur articulatim enuntiare ea quae sunt : II XVII, 228 7 *testimónii fit iurator*; I XIV, 185 22 *spátii sic petiuit*; neque, si modo uera sunt ea quae iam de accentu disputauimus, haec aliter sunt appellanda : V II, 274 21 *obséquii dignitate*; III, 276 1 *flagítii perpetrarat*. Sed ipse accentus in epitriticis clausulis rem ita uehementer perturbat, ut periculum sit ne a ueritate desciscamus; ambigi enim in his potest, spondiacane fiat an dicretica clausula : I XI, 184 19 (cf. V XII, 284 18) *sacramenta mysterii*; II XVII, 228 8 *adulterini commercii*; V II, 274 17 *sacramento conuiuii*, I XVIII, 187 11 *deliciosa conuiuii*; V X, 281 14 *cruoris innoxii*. Verum dubitationem nobis tollunt hae choriambicae : II XVII, 230 11 *ignari uel-dúbii*; III XXVI, 252 11 *alieni quam-pró-*

---

[1] *Ad Terent. Andr.* 2, 1, 20. — Cf. HAVET, *Rev. de Phil.*, XVII (1893), p. 36; WUEST, *De claus. rhet.*, p. 79 [305]; WOLFF, *De claus. Cicer.*, p. 662; E. MUELLER, *De num. Ciceroniano*, p. 31, etc. — Cf. etiam M. BONNET, *Le latin de Grégoire de Tours*, p. 334.

prii; II vi, 202 12 *melioris arbítrii*, IV xx, 270 1 *ille princípii*; I xxix, 193 6 *iusti supplícii*; I xviii, 187 8 *nefandi supplícii*; IV xiv, 264 18 *diuini iudicii*; V xi, 284 12 *luendi supplícii*; Ad Mac. 172 15 *uberioris ingénii*; in quibus obstant numeri ne coniuncte legamus *árbitri*, *quám-propri*, *príncipi*, *súpplici*, *íudici*, etc. Porro remanet unum id exemplum quod est V iii, 275 17 *grande negótii*, quod si adscribatur in spondiacarum numerum (*grande negóti*) fit exitus heroicus, a quo summo opere Sedulius abhorruit; sin inter dicreticas reponatur, fit ea syllabarum series –́ ◡ ◡́ –́ ◡ ≃ quam haud raro Sedulius usurpauit [1]. Item in prosa legimus III xxvi, 252 7 *aurĕī portitorem*, eum sit in Carmine (iii 316) *gerolum didragmatis aurĕī* [2].

Vocabulis uero quibusdam, qualia sunt *nihil*, *dextera*, *uinculum*, *periculum*, ita usus est Sedulius, ut pro necessitate numerorum nunc integra singula reciperet, nunc ea lege contraheret quam syncopen grammatici uocant. [3] Quod ut magis pateat exempla utraque proferam :

II xvii, 230 15 transmeare periculum.
V xi, 284 13 teneris in uinculis.
III xxv, 251 16 fatigato periculis.
III iv, 234 14 periculis inuolutum.
II xvii, 228 15 uinculis implicemur.
III viii, 238 11 uinculis ac dimissis.
V x, 281 13 uincula peccatorum.
V ix, 280 20 periculo non ferebat.
III xxiv, 250 7 nihil est in-hoc mundo

I ix, 184 4 pericli formidans (Huemer periculi).
V x, 281 12 uinclis adstrictum (H. uinculis).
V xxxiv, 300 12 dextra sectantes (H. dextera).
III xix, 247 15 uocatusque nil trepidans.
V iii, 276 6 torpore nil permanens.
III ii, 233 4 credenti nil denegat.

---

[1] At fortasse legendum I xxviii, 192 19 *Filī consortio* : quamquam neque ulla est interpunctio, neque, ut opinor, clausula.

[2] In hoc tamen libri dissentiunt : *aurae* T, *aurie* C, *aurie* D², *auri* ceteri.

[3] Vulgo sunt nota, ne pedestri quidem sermone omnino aliena..., *hercle*, *lamna*, *maniplus*, *oraclum*, *periclum*, *sáeclum*, *uinclum*, etc.; L. Mueller, *De r. m.*, pp. 365-6. — De uocula *nil*, Cf. Wolff, pp. 661-662.

III xv, 245 7 saluti nil adimit (H. nihil).
IV xix, 269 6 sceleris nil habĕret (H. nihil).
IV ii, 256 19 operibus nil dependat[1].

Constat igitur Sedulium, ut ferebat aetas, plerumque fuisse spatiorum gnarum atque studiosum. Nunc demum persequar, cur tredeciens in centenis ueterum numerorum leges praetermiserit ; atque mihi continget ut eam quoque quaestionem soluam, utrum inscitia an neglegentia peccauerit.

IV

Primum paucis renouabo ea quae de natura accentuum etiam in ueteribus claudendi generibus iam instituere sedulo contendi. Plane igitur ostendisse mihi uideor, Ciceronis clausulas plerasque ita esse conformatas, ut arses pedum fere semper concurrerent cum cottidianis accentibus. Atque in iis clausulis maxime omnium tritis, quae postrema tempora tulerunt, iam a Ciceronis aetate eminet atque extat longe potiores fuisse eas caesuras, quibus incolumis seruaretur accentus. Vtrum uero priscis illis temporibus id de scriptorum industria factum sit an ipsa latinitatis natura[2], non quaerendum hoc mihi esse puto ; neque enim ad me pertinet, ut hoc in genere quaestiones Tullianas omnino excutiam, neque rem mihi magni esse momenti arbitror. Hoc autem unum teneo, quendam ordinem in acuendis clausulis siue ipsa natura siue artificio scriptorum constitutum esse, a quo non facile discederent quicumque uellent numerose scribere. Namque ii cum arses plerumque ab accentibus sumserunt,

---

[1] Ex his omnibus coniecturam facio, geminardam esse consonam *p* in illis exemplis quae sunt II ix, 209 10 *praelucente reppertum* ; Praef. 175 9 *profecto repperies* ; II xiv, 217 23 *ineptius repperiri*. Atque breuem esse puto posteriorem uocalem in his : V xviii, 288 10 *dispăr est causa* ; IV xxii, 272 7 *impăr antiqui*, et primam longam in hoc II vii, 205 15 *moliris Hērodes* (Cf. L, Mueller, *De re m.*, p. 342).

[2] Quod de latinis uersibus item fieri comprobauerunt Corssen (*Ueber Aussp.* II, pp. 972-988) ; W. Meyer, *Ueber die Beobachtung*, etc., pp. 8 et 101.

tum etiam diligenter operam dederunt ne saepius pedes dissoluerent, et quasdam clausulas prae ceteris frequentauerunt et in iis conficiendis alios e legitimis pedibus neglexerunt, alios potiores duxerunt : ut iam a Ciceronianis temporibus clausulae praecipuae non modo certis spatiis conformarentur, sed etiam constituto atque stabili quodam syllabarum numero : fuerunt enim, praeter dissolutiones longarum paucissimas, spondiacis clausulis plerumque syllabae quinque, dicreticis sex, ditrochaicis septem. Atque eiusmodi clausulis et caesuris et pedibus cum priores partes tribuerentur, natura hoc consecuta est, ut in illis staret etiam firmior cottidianorum accentuum ordo et ratio ; huc etiam accedebat, ut clausulae nonnullae spatiis diuersae eodem tamen reciderent accentibus. Sic defluxerunt clausularum priores pedes bisyllabi (–́∾ + –́∾ ; –́∾ + –́⏑∾ ; –́∾ + –⏑–́∾), manserunt uero ex trisyllabis ii tantum quorum breuis media creticos adsimularet. Neque ipsa monosyllaba, neque ea quae erant pluribus quam quinque syllabis uocabula, diu in exitibus floruere, quae iam aegre a Cicerone usurpabantur, atque mox Quintiliano uisa sunt iniucunda. Denique uidemus Sedulianas clausulas illis generibus tribus uel quattuor ita contineri, ut excludantur paene cetera, quaecumque pondere accentuum non eodem pertineant. Sedulio igitur quotiens (quod raro accidebat) non praesto fuere conuenientia priscis numeris spatia, satis fuit ut ea suppeterent quibus incolumes integrique remanerent accentus.

Quapropter prout necessitas postulabat, non dubitauit Sedulius has clausulas perinde habere ac si (ut solent spondiacae) ex cretico ac spondeo essent : –́– | –̀–́∾ uel –́– | –̀ | –́∾ (155^{es}) : neque tamen usu capere potuit eas longarum consecutiones, quarum caesura post molossum incideret priorem uno uocabulo factum, ne accentus loco suo demoueretur, –́––̀ | –́∾. Nec adeo refugit Sedulius in prioris trochaei locum nonnunquam iambica sufficere uocabula, ut quae accentu cottidiano in prima syllaba uterentur : ⏑́– | –̀–́∾. Atque in his quae sunt –́⏑–̀ | ⏑́∾ uel ⏑́⏑–̀ | ⏑́∾, cum accentus cottidiani leges prohibeant quominus post priorem trochaeum uel iambum fiat incisio, curauit Sedulius ut hoc in genere potius post creticum uel anapaestum caederet ; praeterquam quod secturas eas interdum accepit, quae sunt ⏑́– | –̀ | ⏑́∾, in

quibus cum inclinaretur monosyllabum medium, minus erat periculum ne posteriori accentui uis inferretur. Denique mirum est hoc unicum exemplum quod est, –́◡ | ◡́ | ◡́◡ *sanguis et aqua*, quod fere totum est ex breuibus.

In iis uero quae dicreticis clausulis coaequantur, accentum haud parui fuisse momenti, primo argumento est, quod dicretica choriambicam sibi adsciuit, numero syllabarum et accentibus parem, nec tamen spatiis, quanquam, ut dixi, ab alio fonte legitimo proficiscitur. — Atque in dicreticis et choriambicis idem accidisse nonnunquam uidemus, quod in spondiacis, ut ante caesuram sollemniorem partes ageret trochaei uox pyrrichia uel iambica, utque in diiambicis spondei locum trochaica uox seu uocis postrema pars haberet. Rem uero acu tanges si haec exempla tria uolueris retractare quae sunt, I xxix, 194 12 *tántum paráti-sunt* –́– | ◡̀–́– | –̀ ; III i, 232 8 *áquae quod-nátae-sunt* ◡́– | –̀ | –́– | –̀ ; III xxvii, 254 1 *exiguáque reférimus* ◡́◡ | ◡̀◡́◡◡̀ ; Ep. ad Mac. 173 16 *uérsu digésti-sunt* –́– | –̀–́– | –̀ : in quibus nulla spatiorum ratio haberi uidetur, sed hoc tantum cautum est, ne sectiones obstarent accentibus.

Idem fere de ditrochaicis dicendum, quarum in pede priore iam potuit Cicero sine ullo paene delectu anapaestum uel dactylum adcommodare pro cretico : quem morem secutus Sedulius, sibi tamen sumsit ut nonnunquam (35es) in his tribrachy uteretur ; neque a tribrachy adhibendo se continuit, ante ea quae erant ◡––∾ (21es), uel ◡◡–∾ (8es) ; atque illi ionico quem uocamus a minori, creticum a quo ueteres abhorrebant etiam interdum (22es) praemisit. Nec omnino desunt aliae syllabarum consecutiones, quae accentuum rationi mirum in modum obsequantur : hos enim lege, ut ita dicam, creticos : –́– | –̀, II vii, 204 20 *Chrísti-sunt nuncupáti* ; V xi, 284 2 *proféssi-sunt permanère* ; ◡́–| –̀, III xxiv, 250 7 *níhil-est in-hoc-múndo*[1]. Denique eminet accentus ille quem quasi secundarium inesse diximus in ditrochaeis, ut binis syllabis interdum ab ipso Sedulio caedantur : I xxix, 194 14

[1] « Le terme de *proparoxyton* désignerait plus adéquatement ce phénomène ; et j'explique par l'accentuation ce que M. Meyer a tenté vainement d'expliquer par la quantité. » E. de Jonge, *Mus. Belge*, VI (1902), p. 279.

uána-est córam Déo ; II xi, 211 8 *géreret súpra décem* ; IV xvii, 267 10 *fílius íuxta uíam* ; III xxi, 248 16 *tránstulit móx-in óuem* ; II viii, 206 18 *ítaque iúxta sénsum* ; II vi, 202 16 *Dóminus Jésus Chrístus* ; III xix, 247 18 *sécuit cóntra méntem*. Hic habes, quotquot extant, huius generis exempla Seduliana. Iam inde igitur ab illa aetate mos adhiberi coeptus est, qui postea illis medii, quem uocant, aeui temporibus in consuetudinem uenit [1].

Iam uero ipsa uis accentus nobis documento est, quatenus encliticae uoces nunc priori pedi nunc posteriori sint adscribendae : quod enucleare tum supersedimus, cum de encliticis deque caesuris quaestio prius moueretur [2]. Docemur nunc primum inclinari monosyllaba uerbi illius *sunt*, *est*, *sit*, ubi antecedit participium uel aliud quodlibet praedicatum, quod accentu utatur in paenultima : II viii, 208 3 *nátus-est rex-Iudaeis ;* II xiv, 215 20 *aúsus-est eum ;* xiv, 217 23 *dómus-est cor-malignum*, 229 19 *fugiéndus-est qui trucidat ;* III i, 232 3 *uísus-est sed-pauisse*, etc. Atque idem dicendum, si non una uoce fiat praedicatum, sed pluribus quarum una uerbum antecedat : I xxviii, 192 15 *pretiósus-est lápis*, xxix, 194 3 *maiestátis-est Déus ;* V xxvi, 295 10 *íste-sit dies*. Sin aliter, substantiuum uerbum ad pedem posteriorem referatur necesse est : Praef. 173 2 *áddita súnt-secúndis ;* II xvii, 226 11 *nóxius ést-malígna ;* V vii, 278 17 *uúltuum súnt-lauácra ;* I xxix, 193 16 *solus est-nátus ;* V xxx, 298 6 *ipse sit-panis ;* V xviii, 289 14 *ubique sit-praésens*. Atque de re uniuersa monebo, totiens procliticam esse monosyllabam uocem, quotiens reipsa cum insequente uocabulo consociatur ; quapropter erit cauendum ne temere a suis nominibus abiungantur praepositiones quae sunt eiusmodi *ex*, *in*, *post*, *per*, *cum*, etc., uel coniunctiones, aduerbia *non*, *sic ;* uel pronomina *quem*, *qui*, *quos*, *hoc*, *hunc*, *hos*. Verum haereo de aduerbiis ac de residuis quibusdam, quorum condicio quaenam habeatur, ambigi potest. Eiusmodi tamen uoces quales sunt *sors*, *pars*,

---

[1] Cf. Noel Valois, *Etude sur le rythme des Bulles pontificales* ; — *Bibl. de l'Ec. des Chartes*, XLII (1880), p. 162 ; Giry, *Manuel de diplomatique*, p. 457.

[2] Cf. ea quae dixi p. 34.

uox, *rex*, *fit*, *uult*, *iam*, *mox*, *tunc*, uideo potius adhibitas esse in ditrochaicis clausulis, ut ipsum ditrochaeum ordirentur, atque ut aliqua ex parte accentum seruarent suum : II xvi, 220 2 *breuiter uúlt-rogári* ; xvii, 224 16 *defíciat sé-datúrum* ; IV xix, 269 6 *scéleris níl-habéret* ; III xvi, 245 17 *reddidit*, *ós-nouáuit*, etc. In ceteris uero clausulis adducor ut credam eiusmodi uoces quamuis raras, pro rei necessitate et sollemnium natura clausularum, nunc pedi priori nunc posteriori adscribi posse. Atque inclinantur nonnunquam uocabula disyllaba, ut pro certo teneam hoc ictu acuenda esse ea quae sunt : IV ii, 256 7 *nón-potest transmeare* ; V xxviii, 296 15 *nón-uides et pericli* ; IV xvii, 267 13 [*magis*] *ác-magis postulabant*[1]. Teneo etiam in illo *uenumdata* acuendam esse paenultimam : III xx, 248 8 [*uenum*] *dáta commercio*[2].

Atque haec quidem de ui accentuum ; pergamus igitur ad reliqua, ut haec quoque quaestio ad exitum adducatur, quapropter Sedulius in centenis tredeciens ueteres omiserit numeros. Neque enim fieri potuit ut iam inde a Seduliana aetate tanta esset accentuum ratio, quantam uidemus obuenisse postremis illis medii quem dicunt aeui temporibus ; propterea quod, quanquam omnes Sedulianae clausulae cum accentuum legibus congruunt, eae tamen dedita opera sic conficiuntur, ut usum potissime ueterum spatiorum seruent. Verum id temporis cum prisca claudendi genera iam haud pauca obsoleuissent, residuae quae e tam multis superant clausulae in hoc periculo summo uersabantur, ut et constituto syllabarum numero et pedum paucitate et similitudine quadam conturbarentur, et spatiis quamuis diuersae, iisdem tamen acuendi rationibus pares fierent. Cum igitur ueteres numeri inclinatione quadam atque ipsa rerum natura antiquitus in accentuum quasi potestatem dicionemque protendissent, iam inde a Sedulianis temporibus res eo deuenerat ut, quae ex prisco more numerosa seruabantur, eadem simul cum cottidianis accentibus concinerent, utque per de-

---

1 Cf. de Jonge, *Musée belge*, VI (1902), pp. 353, 279 n. 2.

2 W. Corssen, *Ueber Ausspr. Vok. und Betonung der lat. Spr.*, v. II, p. 887.

cursum annorum id lucro accentibus fieret, quodcumque in spatiorum detrimentum uenisset.

Neque haec in eam sententiam disputo, ut teneam Sedulium fuisse earum rudem quantitatum quas neglexisse nonnunquam uidetur : namque Luciano Mueller[1] cum assentior, eos refellenti qui credunt errore falsissimo simul ac perniciosissimo Christianos quantitatum curam habuisse nullam uel nulli simillimam, tum etiam perspecto Seduliano carmine compellor ut pro certo habeam notissima Sedulio fuisse spatia, qualia sunt *profundā, sesē, operarī, periclī, rapacitatī, libramentō, occasū, praedāe*; *eructabās* [*accensus*]; *supremās* [*inrupit*]; *dentēs* [*arceret*]; *deliciosīs* [*inclusus*]; *ferinōs* [*exercens*]; *custōs* [*ingressus*]; *uirtūs* [*infusa*]. Atque ea tamen uel eiusmodi alia cum in breuium syllabarum locum libenter sufficeret, hoc loco exstitit quaestio, quatenus sciens uolensque peccauerit; etenim in contentione uersatur, num comprobari certo possit quantitates accentu grammatico esse inuersas. Atque rem cum adgressus esset Lucianus Mueller, postquam haud paucas rettulit causas quibus mensura uocalium sit progrediente tempore peruersa, non tamen potuit de accentu quicquam certis argumentis comprobare[2]. Neque mihi satis constat; sed ad eius sententiam accedo, ut teneam uocales longas accentus ob defectum breuiari potuisse[3], ea tamen lege ut scriptores plerumque ipsis consciam in metris ueritatem omitterent[4].

Quapropter rem accipiam in hanc partem, ut dicam uim accentuum eo magis in solutae orationis numeris conualuisse, quo hebetiores uulgi aures spatiorum sensu carere coeperint. Etenim non semper res ita se habuit ut Ciceronianis illis temporibus, cum in uersu si esset peccatum uulgus audiret,

---

[1] *De re m.*, p. 350.

[2] *De re m.*, pp. 349-356. — Verum enimuero « ..... so ergiebt sich... dass im Afrikanischen Provinziallatein des fünften Jahrumderts n. Chr. die hochbetunte Silbe gewöhrlich lang gesprochen wurde, auch wenn ihr Vokal von Natur kurs war. Cf. *Konsentius 392 k :* Quidam dicunt *pīper* producta priore syllaba cum sit breuis, quod uitium Afrorum familiare est. » (W. Corssen, *Ueber Ausspr.* v. II, p. 939.

[3] *De re m.*, p. 356.

[4] *Ibid.*, p. 355.

uel si quid contractione breuius fieret aut productione longius, tota theatra reclamarent [1]. Neque semper ille usus ualuit, ut alia elatione uocis efferretur acuta syllaba si natura esset longa, alia si positione producta aut omnino breuis. Cum uero antiquissimi Romanorum haud dubie essent ingenio praediti longe minus musico quam Graeci, tum subacto orbe terrarum et euersa Italia cum plerique prouincialium assumerent linguam latinam non quasi maternam sed ut nouercalem, celeriter res eo peruenit, ut quantitates uerborum uulgo neglectas in scholis perdiscere oporteret [2]. Etenim cum uulgus quantitatum plurimarum sensum pridem exuisset, syllabarum mensurae non uiuido elegantiae sensu, sed intrinsecus adscita adhiberi coeptae sunt doctrina, plane ut illorum tantum non omnibus qui nunc pangunt uersus latinos [3].

Hoc igitur quod firmauit L. Mueller exemplis poetarum, Seduliana etiam prosa penitus comprobari potest. Apparet enim cur Sedulius quamuis spatiorum ac numerorum gnarus atque studiosus, hoc suo tempori concesserit ut quaedam longa pro breuibus haberet; namque ultimorum uidelicet temporum hominibus idem accidit quod et nobis, ut uocalium quantitates praeceptis grammaticorum non uiuido sensu perdiscerent, utpote quibus uix alii essent longarum syllabarum ac breuium soni. Cum uero in scribendis uersibus mos maiorum impedimento esset, quominus prisci numeri a doctis poetis neglegerentur, tamen bonam sane ueniam delictorum licuit sperare iisdem, qui soluta etiam oratione scriberent, qui haud sane nacturi essent auditores lectoresue ipsis multo minus suptiles ad mensuras uerborum [4]. Atque Sedulius cum in CARMINE breues nonnunquam ex longis eiusmodi adhibuit (I 156 *mănauit*, III 265 *ĕnorme*, V 146 *idŏla*, III 218 *medĕretur*), tum sustinuit in oratione soluta dispondeos pro ditrochaeis, molossos pro creticis sufficere. Quod ex eo sciri potest, quod dispondeorum copia usus est maiore

---

[1] *De Or.* III, 50, 196.
[2] L. MUELLER, *De re m.*, opusc. II, p. 444.
[3] *De re m.*, p. 444.
[4] *Ibid.*, p. 355.

quam ueterum metrorum natura patiebatur. De ditrochaeis quidem hoc etiam argumento est, quod cum accentu quodam secundario utantur, periculum fit ne cingentium syllabarum acutis accentibus quasi attrita secunda syllaba obscuretur et hebescat. Itaque non abhorruit Sedulius ab eis quae sunt *testamenti*, *regnatoris*, *largiretur*, *fundamento*, *perscrutari*, *compromisit*, *peccatorem*, *detrimento*, *imbecillis*[1], quasi in his secundam syllabam haberet breuem.

Atque huc accedebat, quod non sicut apud Graecos factum ullius uocalis diuersae quantitates diuersitate figurarum indicabantur[2]. Qua propter indocti homines primum a uero abducti sunt, ut in illis exitibus *e* uel *o* titubarent. Iam enim inde ab Augusti quem dicunt aeuo a prisca consuetudine deflecti coeptum est, in iis quae erant *ergŏ*, *quandŏ*, *porrŏ*, *uigilandŏ*, etc.; atque deinde in his *uolŏ*, *legiŏ*, *origŏ*, aliis. Horatius correptum illud uoluit *supernĕ*, et labente tempore placuit etiam quibusdam ut imperatiua illa *monĕ*, *docĕ*, breuiarent. Nec tamen ullum extat exemplum breuiandarum uocalium *u* uel *i*. Mox uero perturbata ratio est eorum quae erant *os*, *es*, *is*, *os*, *us*, quorum et breuia et longa extabant exempla. Namque in accusandi casus priscis temporibus corripiebatur pluralis ille numerus tertiae declinationis graecus *ăs*, primae uero latinus producebatur *ās*. Atque item in casu recto breuiabantur tertiae graeca nomina *ĕs*, quintae latina producebantur *ēs*. Maxima autem perturbatio orta est exitibus *is* uel *us*; correpta enim antiquitus dicebantur illa *amamŭs*, *sororibŭs*, *amatĭs*, *sororĭs*, producta haec *audīs*, *uobīs*, *rosīs*, *artūs*, *uirtūs*. Adeoque nominum quartae postrema syllaba in nominatiuo sumebatur correpta (*spiritŭs*) in genetiuo eadem producta (*spiritūs*). Sedulius igitur cum carmina scriberet, nonunmquam sibi sumsit ut hos in thesi exitus

[1] De illo *imbecillus* cf. Mueller, *De re m.*, p. 359.

[2] F. Skutsch in *Philologus*, LXI (1902) *Zu Favonius Eulogius und Chalcidius*, p. 191, iisdem argumentis utitur, ut breuibus adscribat illa *scitĕ*, *rectĕ*, *fabulosĭ* [*poetae*], *Epicurĕi* [derident], *Platŏ* [testatur]. « So scheint er (=Favonius) das auslautende *e* der Adverbien kurz zu messen. » — Cf p. 194 : « Dann läge hier Verkürzung des pluralen *i* uor, und auch dieser scheint sich Favonius noch sonst schuldig gemacht zu haben... » Cf. ap. Cic., *De Or.* II, 63, 256 *acute dicemus*.

breuiaret III 266 *sexūs*, II 239 *spiritūs*, II 126 *uagitūs*, V 280 *peruenīs*, Hymn. II 29 *Herodēs* : nec Ausonius illud *impăr* rennuit. Quapropter nec obstat ut credamus in Opere Paschali exempla eiusmodi plura esse a Sedulio accepta, ne priores cretici nimis claudicarent[1]. Quotiens igitur haec mihi occurerunt, ea inter numerum breuium referenda putaui, quae sunt *amandō, fortitudō*, etc.; sed iniectus mihi erat scrupulus de ceteris, quorum rationi indagandae supersedere usque eo institui, donec rem totam excussissem. Nunc uero pro certo etiam habeo Sedulium, quanquam longa esse non ignorauit illa *profundā, sesē, periclī*, etc., iis tamen usum esse ut breuibus. Hoc tamen in his animaduersione dignum est, scriptorem summo opere curauisse ne unquam uocales eiusmodi duabus consonis exciperentur, nisi cum forsitan uocabulum prius in *m* desineret. Scripsit enim, positionis quam dicunt ratione diligenter habita, uelut in his quae sunt : *eructabās* [*accessus*], *supremās* [*inrupit*], *dentēs* [*arceret*], *deliciosīs* [*inclusus*], *ferinōs* [*exercet*], *custōs* [*ingressus*], *uirtūs* [*infusa*], etc. Vnicum uero mihi occurit exemplum (IV xiv, 267 8 *cibus suauis)*, ubi fortasse nulla est clausula; atque item extat illud exeuntis litterae *m* unicum, *Salomonem dicentem*. Sed animaduerterit fortasse aliquis non eandem omnino fuisse creticorum condicionem in clausulis dicretis uel choriambicis, quanquam saepius post trochaeum caeduntur priorem : ⏑́⏑ | ⏑́∾⏑∾; legimus enim I ii, 179 19 *rursus progenie;* xv, 185 17 *postquam miracula;* xxvi, 190 11 *domorum constantiam;* II viii, 208 12 *quanquam praesentia;* xvii, 225 18 *praeceptibus caelestibus;* IV xii, 263 3 *exsequiarum muneribus;* V xxiii, 292 13 *templum mirabile;* III ii, 233 10 *cernat praeteritum;* xxv, 251 8 *postquam corporeum ;* V x, 283 3 *nuper discipulus.* Causa ab hoc repetenda est, quod in eiusmodi clausulis uox prior uel extrema uocis prioris pars spondiaca si non sollemnis, at certe ex prisco more ha-

---

[1] Aequales Sedulii cum exeuntium uocalium sensum exuissent, fortasse hac de causa curauit Sedulius ne usquam fere illud genus adhiberet legitimum ⏑́–⏑́⏑́∾ (V xv, 286 3 *laeuā rĕfulsit*) in quo cum de secunda longa ratio dubia uulgo uideretur, periculum erat ne fieret aliqua ex parte heroici exitus species.

benda est legitima; atque ab ipsa paucitate exemplorum, quae uniuersa tamen attuli, argumentum petere possumus quanto opere Sedulius in illis etiam clausulis priscos adsciuerit numeros, quippe qui spondeis ut minus sollemnibus secundum locum tribuat.

Cum igitur iam inde a priscis temporibus accentus quodam modo ualeret in clausulis, atque cum spatiis plerumque congrueret, non est quod ille mos uitio uertatur omni ex parte Sedulio nostro, quem spatiorum maxime gnarum atque studiosum fuisse in claudendo comperimus : uerum id temporis hebescente quantitatum sensu, scriptores interdum satis habuerunt ut clausularum arses ictibus accentuum signarent, etiamsi ueritatem nonnunquam spatiorum omitterent sibimetipsis consciam.

CAPVT V

De aliis quibusdam clausulis imperfectis.

I

Hactenus de tribus illis uel quattuor claudendi generibus disputaui, quae apud Sedulium partem clausularum longe majorem complectuntur. Verum residuae sunt clausulae quaedam, eaeque paucissimae, quae a more illo Seduliano penitus discedant, quas nunc ut excutiam, cum magna sane quaestio sit, omnibus enitar uiribus. Cum enim Sedulianae conclusiones quaedam ab usitato more discedant, in eam quaestionem incidimus, quatenus a lege ac consuetudine discedant; siue, ut rem paullo altius repetam, ambigi potest legemne sibi Sedulius dixerit iis unice generibus uti quae iam descripsimus, an illa tantum habuerit multo potiora, ut aliis tamen quibusdam interdum libenter obsequeretur. Etenim si scripserit Sedulius necessitate numerorum quadam constrictus, mendosa habeantur necesse est quaecumque contra legem uidentur esse ; sin sciens uolensque ipse a sua interdum consuetudine discesserit, non est quod uitio uertatur quodcumque praeter consuetudinem scriptoris accidit. Quae quaestio ad exitum adduci non potest, quin conclusiones dubiae quotquot remanent, singillatim in censum ueniant.

Ac primum, si quis uelit, inter insolentes nunc quidem reponantur eae clausulae quae iniquitate temporum uel scribarum inscitia in OPVS PASCHALE irrepserant : quanquam non hoc commisi ut eas sine emendatione relinquerem, quotiens parata mihi uel ex codicibus uel ex sensu medela praesto

fuit ; tanta enim est clausularum Sedulianarum sollemnium copia etiam in incisis minutioribus, ut ex ea crebritate coniecturam capere possimus dubios esse Sedulianos locos in quibus clausulae claudicant. Cum igitur mihi computanti occureret uitium aliqua ex parte sanabile, elaborabam ut huic uitio mederer ; moxque consecuturum me esse spero, ut hac medela renouatae atque, ut ita dicam, recreatae clausulae non paucae numerum legitimarum obtineant : quibus uero argumentis emendationes meas euicerim, tum exponam cum de crisi erit dicendum ; de his tamen usque eo suspenso animo expectaui, ne male plenis dinumerationibus inniti uiderer. Nunc satis habeo ut colligam universa, quibus num medendum sit haud certo scio, aut qua ratione possim mederi. Obueniunt igitur mihi dubia uocabula tria pentasyllaba : I xxii, 189 11 *instabili mobilitate* (nec tamen de sensus interspiratione certior sum) ; V viii, 280 15 *addidit ignorantiam* ; Ep. ad M. 172 5 *sunt in oratione* ; e quibus exemplis nullum interpuncto excipitur maiore, et fortasse ultimum ui enclisis in ditrochaicum genus recidit (*sūnt-ĭn ōrātĭōne*), quanquam unicum est huiusmodi caesurae Sedulianum hoc exemplum. Venio nunc ad exempla alia, quae quidem paucissima sunt, in quibus cum pes posterior conficiatur legitimus, tamen pes prior uidetur claudicare : Ep. ad M. 171, 5 *utrūm quōd plăcŭĕrit* (nisi forsitan acuendum sit *utrúm-quod placuerit*, a quo me omnino abhorrere fateor) ; I xxix, 193 8 *diuinitatis iura* ; II viii, 217 11 *hereditatem dixit* (quanquam in his duobus deest fortasse sensus intermissio) ; II x, 210 9 *déstitit tyránnide* (cf. II xvii, 222 19 *púniat tyránnide* ; IV xiv, 265 5 *áderant tyránnide*). His tribus exemplis uehementer perturbor, quod diiambicis uocabulis praemitti uideo creticum siue anapaestum, qui pedes ex more Seduliano excipi non possunt nisi uocibus acuta paenultima praeditis : haud scio igitur an credam graecum illud *tyrannide* ultimis temporibus acui potuisse, ut Graecis mos erat, *tyranníde*. Denique nominis proprii unum restat hoc exemplum : V i, 274 4 *ita locutus est Esaias*, cui quanquam fortasse sic poteram mederi : *Esaias ita locutus est*, medelam affere illam temere nolui. Vides igitur insanabiles esse Sedulianas mendas ad summum decem. De ceteris uero quibus ut mederer elaboraui nixus argumentis grauissimis, alias pluribus disputabo.

II

Nunc Sedulianas clausulas persequar, de quarum natura atque usu in spem adducor ut aliquid consequi possim. Sunt enim in OPERE PASCHALI clausulae nonnullae quae cum extra Sedulianum genus uersentur, tamen interdum de industria scriptoris arcessitae sunt, puto, ne ex continua numerorum similitudine quid fastidii nasceretur[1], atque ea quidem lege ut quod extra normam ceciderat inexpectatum, hoc statim perfecta clausula exciperetur quae plenius sonaret ad numeros, auriumque uoluptati morigerari suauius posset. Sed priusquam exempla rei colligam universa, persequar ut argumentis comprobem id quod sentio.

Clausulas igitur eiusmodi a Sedulio imperfectas esse habitas, hoc profecto indicio est, quod neque in toto PASCHALI OPERE usquam interpunctione maiore ulla excipiuntur, neque in ullis intermissionibus fiunt, nisi post ea quae a Graecis antitheta uocantur. Atque ex hoc percipi potest quantum intersit inter clausulas eiusmodi, atque eam quae est ⏑́ ⏑ | ⏑ ⏑́ ⏑́ ⏓, quam Sedulius, etsi multo rarius usurpauit, tamen aptiorem esse censuit ad concludendum, quippe qui interdum nec in exitibus comprehensionum, nec in ipsis capitulorum finibus ab ea se continere potuerit. Clausularum autem illarum quas imperfectas diximus, eam apparet condicionem esse, ut a Sedulio tum unice adsciscantur cum ille paria paribus referat, uel contraria contrariis : atque hoc plerumque tum accidit, ut breuissima sit altera comprehensio quae male cadit, altera uero quae numeros explet, longiore uerborum continuatione ac pleniore sono ; utque comprehensio, postquam uix incitari coepta est, primum statim quasi curta stet in antitheto priore, ac deinde completo perfectoque uerborum ambitu suauius cadat. Atque in his etiam usu uenire

[1] Idem suspicatus esse uidetur de Fortunati clausulis D. QUENTIN, *La plus ancienne Vie de saint Seurin de Bordeaux* (in *Mélanges Couture*, Toulouse 1902, p. 33).

solet, ut quotiens fere rhythmus imperfectis eiusmodi clausulis intercipitur, accedant illi quos nunc uocamus rimi, siue de scriptoris industria, siue ipsa natura antithethorum fiant, in quibus similia similibus uerba respondent. Eos igitur numeros dixi imperfectos, quos Sedulius in claudendo insuauiores iudicauit ; curauit autem, cum illos in antithetis collocaret, ut ex ueteribus spatiis quantum poterat reciperet.

Proinde nunc haec exempla proferamus. Ac primum quidem hoc Sedulius adamauit, ut in antitheta reponeret clausulas dicreticas uel earum similes, quae post priorem creticum inciderentur :

I I, 177 13 haec..... panditur semita, | hic nostri ponemus operis fundamenta.

II VIII, 206 25 Spiritum..... ueritas sequitur | alienum fallacia comitatur.

II VIII, 209 3 nec initiis oritur | nec terminis explicatur.

II XIV, 218 5 humillima continens | et altissima non reliquens.

II XVII, 225 2 has etenim parcius edere | illas nunquam praecipimur recusare.

II XVII, 228 5 hic homicidium perpetrat | ut innocenti quod affectauit eripiat.

IV II, 256 11 quem nulla unquam facies aspicit | sed ipse cuncta semper intendit.

IV XXI, 271 17 et postumus extitit | et supertes abscessit.

V III, 276 16 cum minaciter moueas | mendacibus osculis faedus incommodas.

V V, 277 10 quoniam..... pro cunctis animam ponere | non uenerat alicuius eripere.

V XXI, 291 10 unus..... calamo nexuit | et acetum eius ori porrexit.

V XXV, 294 2 qui..... nobilis claruit | resurgente nobilior triumphauit.

V XXXVIII, 303 5 quae oculis uiderant | reuoluunt cordibus et reportant.

Praeter illa uero, si forte aliis caesuris dicreticis obuenies, quae non antithetis aperte seruiant, eas comperies nonnunquam ibi adesse ubi de sensus interspiratione uel de sincera scriptura non satis constat, atque semper aliqua ex parte rhythmos comprehensionis intercidere quo suauius ipsi deinde cadant : re tamen uera supersunt hoc in genere Seduliana exempla ad summum octo :

Ep. ad Mac. 173 9 faue primus ut alii faueant | et omnium mentibus..... auctoritatis infundat.

Ep. ad Mac. 171 6 an quod offenderit ut potius arbitror | stilo censueris liberiore describi.

I xx, 188 7 ad aram..... compulit pecudem | muliebrem effigiem in salis simulacra conuertit.

IV xvii, 267 17 tanquam debitum exigas, | quae postulas sic mereris.

III xiv, 243 4 domus scilicet Israhel | quia necdum..... disperserat dignitatem.

III ix, 239 14 unicam habeo uel magis habui filiam | quae..... in annis necdum puberibus constituta.....

III xxv, 251 11 unicus mihi Domine superest filius | si superesse dicendus est.....

III xxiv, 250 13 cum nequirent Apostoli cernere | pronis in terram uultibus concidissent.....

Hic habes, quotquot extant (numero 21) exempla caesurae illius dicreticae, quam ueteres haud raro usurpauerant, nunc paene obsoletae ac pondere accentuum quasi obrutae. Atque inter imperfectorum numerum clausularum adscribere etiam possumus eam caesuram clausulae ionicae quam vocauimus a minori, cuius exempla uix sex extant, eaque, ut Seduliani moris erat, in antithetis posita :

I xxxi, 196 10 ut qui fletus seminauimus in Adam, | laetitiam metamus in Christo.

II xvii, 225 3 hic abstinentia salubris | hic auiditas fit uitalis.

IV i, 255 6 ardua planare, | curua dirigere.

IV vii, 260 8 lacrimis perfusa, | capillis extersa

IV xix, 269 13 non iudicans absoluit, | sed miserans non puuiuit, || reversuram scilicet ad poenam | si reuerteretur ad culpam.

Nunc ad reliquas pergamus clausulas, quas cum minus suaues Sedulius duceret, in antithetis ut potuit aptauit : inter quas ea eminet ∼∼ | ∼∪∼ antiquitus iam trita hisque saepius spatiis praedita ⊥̵∪̇ | ⊥∪∼ :

I i, 177 9 par splendoris claritas, | communis apicis indivisa sublimitas.

I ii, 179 10 qui stellarum numerum solus colligis, | solus agnoscis.

I v, 182 5 humana respuit, | diuina prospexit.

I ix, 183 16 mutauit naturae semitam, | iussa paululum relaxare constantiam.

I x, 184 7 in desertis terrarum spatiis, | et totius uictus sterilitate damnatis.

I xvi, 186 17 nauta feritatem praebuit, | fera nauigium ministrauit.

I xx, 188 18 leones praedae parcere | et rapinam docuit non amare.

I xxvii, 192 13 ubi petens accipit | quaerens inuenit | pulsanti mox panditur.

I xxix 194 1 semper in Patre permanens | quia semper in ipso permanet Pater.

I xxix, 194 7 Arrius *unum* dici audiat, | Sabellius *sumus* dici cognoscat.

I xxix, 194 12 nihil docendo tradere | sed..... longa disputatione certare.

I xxix, 194 15 hic plus loquitur | ille plus tacet; || hic ambulando disputat, | ille stando pronuntiat.

I xxx, 195 12 grandia quidem postulo, | sed tibi..... subpeditat magnitudo.

I xxxi, 195 15 Christe uotis annue | uotis arride.

II iv, 201 1 terra deficit | maris unda non sufficit.

II v, 201 4 Salue parens optima | tanti regis puerperio consecrata.

II vi, 202 4 pacem meruit | post illud bellum ferale quo cecedit.

II viii, 208 13 nec uetustatis senium, | nec iuuentutis suscipit incrementum.

II ix, 209 12 ad huius mundi principem, | qui nos ante seduxerat, deceptorem.

II x, 210 1 qui nec pietatem tenuit, | nec suos regens animos temperauit.

II xii, 212 9 non ut ipse gereret, | sed ut ipse deperderet.

II xiii, 213 19 quanta sit eius bonitas, | mansuetudo, simplicitas.

II xiv, 215 18 Deus enim credentes suscipit. | temptantes excludit.

II xvii, 220 8 non separatim singulis, | sed communiter uniuersis.

II xvii, 222 1 qua Dominus sanctificare ualeat | qui cuncta sanctificat.

II xvii, 223 1 nec morti conscium, | nec temporibus consumendum.

II xvii 227 7 sicut esse nolumus | ita nec habere cupiamus.

II xvii, 229 9 cum eos deserit, | introire permittit.

III ii, 233 6 voce praestitit, | sermone concessit.

III ii, 233 8 quae non uicturum annuit, | sed iam uiuere designauit.

III iv, 234 16 quae modo langueral, | sui medici fit ministra.

III vi, 235 18 sopitus corpore, | peruigil maiestate.

III vi, 236 4 uentis imperat ut quiescerent, | mari praecipit ut taceret.

III vii, 237 14 quam Christum uidebat gerere, | metuens intrandi licentiam postulare.

III vii, 238 3 ut et quos odit impetat, | et quos amat extinguat.

III viii, 239 1 ex imbecilli ualidus, | ex desperato confisus.

III x, 240 4 quae medentibus plura conferens | nilque proficiens.

III xii, 242 8 quam tutum credere, | quam sanum..... studiose confidere.

III xv, 245 4 non arte praestitit, | sed iubendo concessit.

III xvii, 245 20 gestu tremula, | gemitibus anhela, scapulis curua, uultibus inclinata.

III xxiv, 250 8 sole clarius, | niue candidius.

IV ii, 256 10 qui totum continet, | nec tenetur ipse sub lege.

IV v, 258 7 non maledicto sauciat, | sed praecepto condemnat.

IV viii, 261 5 uitae perditor, | mortis inuentor.

IV ix, 261 18 ipse loqui meruit, | et alios loquentes audiuit.

IV xiv, 264 6 mente simplices, | puritate fulgentes.

IV xix, 269 17 illius damna sentiens, | ad quam peruenire non meruit.

V III, 276 7 nescire traditam, | quam sentire subtractam.
V VIII, 279 6 peccata fugiunt, | delicta discedunt.
V X, 282 17 caelum negat aspici, | terram uetat adtingi.
V XI, 283 11 lucos olim coluit, | idolis obsecuta seruiuit.
V XIV, 285 8 labris tetigit | et ab ore proiecit.
V XV, 286 3 Arctous dextra claruit, | medius laeua refulsit.
V XXVII, 296 1 uultu flammeus, | uestimentis albatus.
V XXVIII, 296 22 cuius ibi lintea, | cuius adiacent uelamenta.
V XXIX, 298 2 quae fuit nascentis ianua, | dum uenisset in mundum.....
V XXXII, 299 3 ne phantasma crederent, | si uulnerum indicia non probarent.

Aduertendum ex illis clausulis (57) quae hoc in genere rhythmos intercidunt, plerasque (47) sequentibus numeris confici, ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ ⏓ (16) ; ⏑́ – | ⏑́ ⏑ ⏓ (16) ; ⏑́ – | ⏑́ ⏑ ⏓ (11) ; ⏑́ – | ⏑́ ⏑ ⏓ (4) ; qui numeri, quanquam apud antiquos non insolentes fuerant, nunc tamen primum in hanc partem sumuntur, ut artificiose rhythmos intercidant. Denique hoc in genere uidemus etiam antitheta nonnulla in conclusionibus excipi, quae uel duo uocabula bisyllaba, uel unum uocabulum pluribus quam quattuor syllabis, uel aliorum generum copulationes complectantur : accipe horum omnium exempla quotquot extant :

I XVIII, 187 11 pastus faeno, | potatus fluvio permutauit.
II XVII, 229 6 Dominus qui lucis uia, | pacis est semita.
V XVIII, 289 1 qui dum suae parcit linguae, | pepercit et poenae.
V XIX, 290 16 per diem fulsit, | modo nec in nocte comparuit.
V XXII, 292 10 rumpuntur saxa, | ..... uacuantur sepulchra corporibus.
V XXIII, 292 26 cuncta gignens, | cuncta constituens.
II IV, 200 1 scilicet exiguus, | deitate praecelsus.
Ep. ad M. 172 5 sunt in oratione | quae non habentur in carmine.
II XIV, 215 8 nec audebat adgredi diuinitatem, | nisi mixtum uideret [et] hominem [1].
II XIV, 216 24 terra subpedaneum, | mundus omnis obsequium.
II XVII, 228 15 cum parua non-resoluimus | maximis iterum uinculis implicemur.
V XX, 291 6 quo perdita restitueret, | non quo instituta deperderet.

Nunc instituenda dinumeratio clausularum omnium quae

---

[1] Cf. p. 106.

rhythmorum infringendorum gratia usu capiuntur a Sedulio :

1° ∼ ∼ | ∼ ⌣ ∼ 57
2° ∼ ⌣ ∼ | ∼ ⌣ ∼ 21
3° Ceterae 12

Summa 90

III

Huc igitur deueni, ut iam quaestionem eam soluere possim, quam cum hoc capitulum adgrederer mihi proposueram. Namque postquam tabulas pp. 50-52 prolatas compleuero, reique universae proportiones adparauero, ex tot indagationibus iam confectis atque in unum redactis certa quaedam atque tenenda in nostrum propositum redundantia profecto eminebunt. Illae uero tabulae augeantur opus est relicuis iis omnibus quae iure ad unamquemque ipsarum pertinere adcuratissima disputatione comprobaui. Cum igitur firmis tandem argumentis euicisse mihi uidear, Sedulianae rei metricae hoc fuisse, ut pro necessitate numerorum nunc breuianda nunc producenda essent ea spatia quorum quantitates pro dubiis apud priscos etiam poetas haberentur [1], elaboraui ut summas singulas his quoque additamentis perficerem ; atque mihi ueniam sperare licebit, aucupanti nunc ea quae de crisi mox disputaturus sum, ut horum quoque, quae numero sunt 69 [2], in integrandis meis summis debitam rationem habeam.

Clausulas igitur in toto Paschali Opere dinumeraui spondiacas 1124, quibus adiungendae sunt eae spondiacae quae priorem soluunt creticum 38 ; dicreticas 1250 ; ditrochaicas 837 ; quarum summa omnium est 3249. Porro numero longe praestant in exitibus incisorum dicreticae 1080 (spondiacae cum sint ibidem 864, ditrochaicae 576) ; in exitibus capitulorum extant ditrochaicae 53, (cum sint ibidem

---

[1] Cf. pp. 72-75.
[2] Cf. *infra*, pp. 94-sqq.

dicreticae 38, spondiacae 41); in exitibus comprehensionum eminent spondiacae 219, (cum sint ibidem dicreticae 132, ditrochaicae 208).

Si uero cum illis omnibus eas complectar clausulas imperfectas, quarum naturam usumque peruestigaui atque numerum esse comperi 90, adeoque eas 10 quarum medelam ad manus non habui, erit Sedulianorum clausularum summa universa 3348, atque hinc efficitur ut Sedulius sollemnibus id temporis generibus claudendi consuluerit in centenis fere *nonagiens septiens*, in iis uero quae imperfecta uocauimus, comprehensiones artificiose interciderit fere *ter in centenis*, ea etiam lege ut hoc in genere aures rimis permulcendas curaret. Relicua, quae instaurare non potuimus, flocci profecto habenda sunt.

CAPVT VI

De crisi, siue de ui et auctoritate clausularum in scriptura Seduliana et interpunctione instauranda.

Iam praemonuimus eam esse uim clausularum in OPERE PASCHALI, ut exitus capitulorum, comprehensionum, incisionum aliquam dubitationem habeant, quotiens a Seduliano more discedunt. Nec tamen id mihi propositum est, ut conietura sola uitiis eiusmodi medear; quanquam uideo uirorum doctorum nonnullos in hanc uiam sese ultra modum prouexisse [1]. Sed si quis probauerit ea quae iam hoc in genere de Cicerone deque aliis scripta sunt, is profecto iudicabit me prudenter fecisse, ut pro uiribus modice ac sapienter in emendando textu agerem. Nam cum dimuneranti mihi clausulas curtum aliquid occurreret, statim ad opem codicum manu scriptorum confugiebam, in quibus fere semper nactus sum medelam. Nec satis habui ut notos adirem codices; sed etiam codicem ignotum Floriacensem reperire primo mihi feliciter contigit.

Praesto enim fuere Iohanni Huemer Sedulianam prosam edituro codices quinque :

---

[1] Cf. (ut nunc quidem de recentioribus tantum commentationibus agam), P. v. WINTERFELD, *Der Satzschluss bei Favonius Eulogius*, in *Philologus* LXI (1903), pp. 623; — *Die Handschriften des Eugippius und der rhythmische Satzschluss*, in *Rhein. Museum*, LVIII (1903), pp. 363-370; — F. SKUTSCH, *Zu Favonius Eulogius und Chalcidius*, in *Philologus* LXI (1903), pp. 623-6; — H. BORNECQUE, *Musée Belge*, VII (1903), p. 3.

1° PARISINVS P (B. N. 12279, saec. IX), a duobus ineptis librariis scriptus, atque omnium, quotquot extant, antiquissimus. Hunc igitur ipse uidi, atque a me rogatus iterum inspexit Eugenius Martin-Chabot, olim Scholae Chartarum alumnus, nunc Scholae gallicae in Vrbe Socius;

2° SANGALLENSE FRAGMENTVM G (N. 877, s. IX), uix paginas libri primi complectens duas.

3° RHEINAVGIENSIS R (nunc Turici asseruatus, N. 77, s. X).

4° HARLEIANVS H (N. 3012, s. X);

5° BRVXELLENSIS B (N. 5664, ff. 166r-183v). Ceterum OPERIS PASCHALIS principem editionem excuderat Iuretus, codice I nunc deperdito usus, cuius uitia quantum potuit diligenter adnotauit, ut eius adnotationes fidem aliquam pro deperdito codice faciant [1]. Sedulianae prosae codices illos in duos ordines discedere, cum ex Iohanni Huemer indagationibus liquet, tum etiam mei codicis recognitione confirmatur.

Hic codex membranaceus formae quadratae (185×192 mm.) saeculo X scriptus [2], constat quaternionibus quattuordecim, fortasse posterius in unum coniunctis. Folio 1 mentio habetur recentiore manu scripta : *Ex libr. mon. S. Benedicti flor. 800 antiq.;* et Bibliothecae Aurelianensis numerus 303. Codex continet ff. 1 — 132 *Carmen Paschale* cum multis adnotationibus interscriptis; scilicet, (ut singula persequar) fol. 1 est *Epistula ad Macedonium* (Huem. p. 1); fol. 8 *Explicit praefatio prima, incipit secunda.* Secundam praefationem excipit commentariolum illud notissimum : *Hoc opus Sedulius*, etc. FF. 9-10 ueniunt sine titulo uersus Bellesarii scholastici (Huem. pp. 307-8). Fol. 10 circa margines adnotationem habes notissimam : *Sedulius primo laicus*, etc. Fol. 11 iteratur praefatio uersibus elegiacis *Paschales quicumque*, etc. Dein (fol. 12) uncialibus de minio rubentibus scribitur : *Incipit sacrum opus Sedulii de veteri testamento. Lib. I. Exhortatio.* Fol. 15 item uncialibus litteris *Invocatio Sedulii.*

---

[1] Ipsa editio Iureti deperdita uidetur, sed recusa est in *Bibliothecis Patrum* plurimis, cum adnotationibus; quas etiam adnotationes sedulo collegit Areualus.

[2] Ut mihi quidem uisum est, et CARÓLO CUISSARD (*Catal. des Départements*, XII, p. 152).

Item f. 17 sub fine *Narrat de ueteri testamento*; ff. 20-35 desunt omnino interscriptae adnotationes. F. 35 uncialibus rubris : *Explicit liber veteris testamenti incipit nouo testamento*. Fol. 56 *Explicit. Incipit liber tertius* (sic). Redeunt nunc adnotationes interscriptae, sed rariores. Fol. 80 *Explicit liber III, Incipit Liber IIII*. Fol. 101 *Explicit liber quartus. Incipit liber quintus*. Fol. 132 explicit carmen sine ulla conclusione ; quod excipit sine titulo (unius tantum lineae uacuae intermisso spatio) poema *Cantemus socii*, etc. (Huem. 155-162), ubi desinunt omnino interscriptae adnotationes. Mox subuenit f. 139 sine titulo, ordine duplici, hymnus *A solis ortus*, his conclusus uersibus (ff. 142-143) fortasse mendosis, quos omittunt plerique codices :

Gloria Patri ingenito
Gloria Unigenito
Una cum Sancto Spiritu
In sempiterna saecula.

Fol. 143 scribitur sine titulo carmen ἀκρόστιχον : *Sedulius Christi miracula*, etc. Fol. 144 nullam habet scripturam. — Fol. 145 alia manu *Incipit sententia de ordinatione constructionum*, id est, breuissimus quidam tractatus (nec ullius ponderis) de ordine uerborum grammatico Tum fol. 149 sine titulo, alia scriptura pressiore, incipit OPVS PASCHALE his uerbis epistulae ad Macedonium : *Praecepisti*, etc. Tunc eodem f. 151 commentarium subuenit : *Sedulius epistola Macedonio praemissa praesbitero, sedecim dehinc uersuum prologo lecturos inuitans, paupertatem exilis ingenii olerum comparat uilitati. Ex cuius carmine de singulis utriusque testamenti miraculis haec sunt capitula praenotata*. Hoc (ff. 151-153) excipiunt tituli capitulorum, quos singulos sequuntur prima uerba carminis conuenientia. Deinde f. 153 sine titulo incipit praefatio, quam sine titulo excipit liber primus, littera tantum prima unciali et rubra distinctus. — Fol. 167 *Explicit liber I ueteris testamenti*. FF. 167-168 praenotantur capitula libri secundi. F. 168 sub fine incipit liber secundus sine titulo ; f. 172 uidetur mutari scriptura. Fol. 187 explicit liber secundus, incipiunt sine titulo capitula libri tertii. Fol. 188 sine titulo incipit liber tertius, priora uerba *Prima Dns nuptiis* uncialibus rubris proferens ; fol. 199 ex-

plicit. Mox (ibidem f. 199) subueniunt sine titulo capitula libri quarti; dein liber incipit prima littera unciali in ultima linea pagine. F. 207 absoluitur liber quartus hac mentione *Expl. lib. tertius* (qui re uera tertius erat Novi Testamenti). — Deinde subueniunt tituli capitulorum tantum tredecim, quos sequitur sine titulo liber ipse quartus. F. 218 absoluta eorumdem capitulorum materia, notantur relicuorum capitulorum tituli, quos eodem folio 218 relicuus liber excipit, ultima tamen pagina decurtatus, hisque desinens uerbis *mox in Bethaniam iisdem pariter...* (Huem., 302, 8-9).

Codex a librario satis docto scriptus est, cui praesto fuerunt duo saltem exemplaria leuiter mendosa, et ipsum Carmen semper ante oculos uel in memoria uersabatur; postea tres saltem manus priorem scripturam retractauerunt; atque antiquus nescio quis lector incisa uel minima distinxit interpunctionibus.

Eius uero codicis quis locus quaeue auctoritas inter ceteros habeatur, nunc dispiciendum habeo. Neque is primum uidetur secluso quodam ab aliis fonte manare; primoque statim conspectu eminet eum esse codicibus HBI proximum: quod cum distinctionibus capitulorum [1], tum etiam lectionibus comparatis liquet. Prius uero locos proponam in quibus PR ueram integramque scripturam seruauerunt; deinde eos in quibus HBIF meliores sunt.

P R (uera lectio).	H B I cum F.
I v, 182 8 ut parceret	ut filium non periret.
I xiii, 185 7 exercitus	exercitum.
I xxxi, 196 9 hinc igitur	igitur hinc.
II xiii, 214 8 cernitur	cernit.
II xiv, 218 4 et inclinauit caelos et descendit	et descendit et inclinauit caelos.
II xvii, 223 5 nobilitatis	nobilitatus.
III i, 232 9 pariter mutauit	mutauit pariter.
III vi, 236 5 ponti pariter	ponti pariter iter.
III xxiv, 250 9 ultra mortalibus	mortalibus ultra.
III xxiv, 251 4 cursus excedat	excedat cursus (H excedatur cursus.
IV xvi, 267 5 sacerdos est sacerdotum (et P)	sacerdos sacerdotum.

[1] Notabis in primis I iii, 181 12; I v, 182 3; I xxii, 189 7; I xxviii, 192 28; — II xiii, 213 3; xv, 218 13; xvi, 219 21, etc. Ceterum libri III capitula ii ac iii inuertuntur in PR.

IV XVII, 267 15 duce remeauit	duce rediuit (I rediit).
IV XXII, 272 12 frequens	frequentis.
V XI, 283 10 in crimen	in crimine.
V XVII, 287 22 quia	qui.
V XVIII, 289 7 precatur	precabatur.
V XXV, 294 20 dominatur et inferis	dominatur inferis.
V XXVIII, 296 20 num Christus	nam si Christus.
V XXX, 298 6 quia cum etc.	quia quod, etc.

H B I cum F (uera lectio)	P R
II XIV, 216 22 saeculares dignaretur	dignaretur saeculares.
II XVII, 226 10 ebibere	bibere.
III XXIV, 250 7 siquidem in hoc mundo	in hoc mundo siquidem.
IV XIV, 265 8 nebularum	aemularum.
V XIV, 285 8 permixtum	mixtum.
V XXXI, 298 13 gesserat ante mortem, etc.	gesserat ante, etc.

Similitudo codicum F H B I his etiam locis pariter omissis illustratur :

P R	H I B cum F :
I XXIX, 193 4 Dominus autem qui	Dominus qui.
I XXXI, 195 15 Christe uotis annue uotis arride	Christe annue uotis.
II I, 197 7 ille magis draco perfidus homicida	[deest].
II VIII, 208 7 traditur ad honorem	[deest].
II XIII, 213 12 super sidera semper est domus	super sidera domus.
III XIV, 244 1-2 sicut..... tractibus	[deest].
III XVI, 245 10 ad dolos artium uetustarum	[deest].
V VIII, 280 10-11 cum adhuc... abscidere, etc.	[deest], etc.

Ne plura : uidentur ex eodem fonte manauisse H B I F. Huemerus uero suspicatus est codicem H[1], qui saepe lectiones codicum P R secutus erat, deinde ad aliquem codicem ceterorum simillimum rasuris ineptis praue deflexum esse; B autem saepius mendosum cum I omni fere modo consonare. Restat igitur ut de Floriacensis codicis inter eos loco nunc disputem. Codex F, cum sit illis quos dixi proximus, interdum tamen cum P R solus consonat :

P R F (uera lectio)	Ceteri.
I VIII, 183 7 quae (que)	qua.
I IX, 183 19 nesciendo cernebat	nesciendo gerebat.
I XVII, 187 3 truduntur in medios	traduntur in medio.
II IV, 199 18 uestire	uestiri.
II VI, 202 17 Dei mediator et hominis	Dei et hominis mediator.
II VII, 203 15 mittens eos	mittens illos.

II viii, 207 5 noscitur elocutus	noscitur locutus.
II xi, 211 7 sentit ipse supplicia	sentit in se supplicia.
II xvi, 219 18 ignobilia et contemptibilia mundi	ignobilia m. et contemptibilia.
II xvii, 226 4 lac uobis potum dedi	uobis potum lac dedi.
II xvii, 230 1 arbor est uitae	arborem uitae.
II xviii, 246 13 duorum modo	modo duorum.
II xix, 247 18 marmoris campos	maris campos.
V xxiii, 293 2 Deus	Dominus.
V xxiv, 293 15 templum sancti Spiritus	Spiritus templum.
V xxiv, 293 17 Spiritus Dei	Spiritus sanctus.
Ceteri (uera lectio)	P R F
II x, 210 17 nec iam modo mater	nec iam mater
II xvii, 223 16 animam pariter in nobis	a. in nobis p.
V xxi, 291 10 saeuissima, etc.	nequissima, etc.

Constat igitur codicem Floriacensem descriptum esse ex exemplo persimili quidem codicibus H B I, nec tamen a P R ita diuerso ; atque nonnulla sunt in Floriacensi, quae in ceteris codicibus desunt : quorum alia optima sunt atque ab archetypo fluentia, alia orta ex Carmine, alia denique ex diuersis exemplaribus in unum coniuncta :

F	Ceteri
I i, 179 2 maxima recondat in horrea congregatum	m. r. in horrea.
I xx, 188 22 nutu naturae traxerit	P R nutu traxerit. H nutu retraxerit. I naturae traxerit [1].
I xxx, 194 19 interea dum rite uiatici [2]	interea dum uiatici.
II vi, 201 14 ut euangelice (*s.l.* ueritatis) sermo	ut evangelicus sermo.
II xvii, 223 4 post praelia procliuia	P R H post plia. I post pericula praelia.
V iii, 275 13 famem sentire iam nequeant animae sine labe fideles [3]	f. s. n. animae iam fideles P R I B. f. s. n. animae H.
V xxix, 298 3 deserentis inferna septem pannis apertis. [4]	deserentis inferna.

Porro inter haec incrementa, unum mihi uidetur omni ex parte legitimum (cf. pp. 108-109). Cetera tam mendosa sunt,

---

[1] Hoc mihi *conflate reading*, ut critici dicunt, uidetur ; praesto enim erat scribae alterum exemplar codicibus P et R simile (*nutu traxerit*), alterum simile codici I (*naturae traxerit*) ; utrumque collegit.

[2] Cf. *Carm.* I, 334.

[3] Cf. *Carm.* V, 37.

[4] Cf. *Carm.* V, 366-7.

ut si plura essent, multa inde fides codici nostro detraheretur. Nunc aduertendum, lectiones quasdam esse in F quae cum a ceteris discrepent, nonnunquam meliores sunt, saepius mendosae :


F (uera lectio)	Ceteri
I I, 177 19 odorem gratae suauitatis	odorem gratiae suauitatis.
I I, 178 7 uenerando metallica	ueneranda m.
II VIII, 208 22 discernentis (*manu*^{2}, *ex* e)	discernentem.
II XIV, 218 4 de quo clamat Dauid et dicit	P R de quo clamans D. dicit. H B de quo clamat D. dicit.
III VI, 236 1 secundum prophetam	P R s. dauiticam prophetiam. H B I s. prophetiam dauiticam.
III X, 240 17 exclamabat ad Dominum	P exclamat ad Deum. R exclamabat ad Deum (ex [*m*^{2}).
IV X, 261 20 Christus ut expuit	Christus expuit.
V XXVIII, 296 21 nocturni soporis	nocturni operis P R. nocturnos operis H.

Ceteri (uera lectio)	F
I XX, 188 5 iura subtraxit	iura subtrahit.
I XX, 188 20 omnium conditori	conditori omnium.
I XXII, 189 8 tractus et spatia	tractus cum spatia.
I XXIII, 189 20 intuentur	instituentur.
I XXX, 195 5 uiriliter arma tractatis	uiriliter adtractatis.
II III, 199 10 corpus	cor.
II X, 210 12 innumerum [1]	inmensum.
II XVII, 225 11 crassi dulcedo	crassitudo.
II XVII, 226 10 scire nos conuenit	scire nobis conuenit.
III II, 233 2 releuaret incommodum	reuiseret incommodum.
III IV, 234 17 sui medici fit ministra	s. m. fuit ministra.
III VI, 235 7 coeperat transfretare, etc.	coepit tr., etc.

Ex diligenti Huemeri indagatione et nostra concludendum, ab archetypo fluxisse circa VII uel VIII saeculum codicem litteris anglosaxonibus scriptum, quem ceterorum stirpem extitisse arbitramur ; huius uero fuisse exempla duo, quorum alterum uetustissimas capitulorum diuisiones et genuinas plerumque lectiones recepit : qui codicum P R fons uidetur fuisse ; alterum, quod titulos et interdum uerba mutuabatur a CARMINE, inuersiones quasdam et immutationes passum est, quas communes habuerunt H F B I ; ita

[1] Cf. *Carm.*, II, 121.

tamen ut illam CARMINIS memoriam F libentius toleraret. Propinquiorem uero cognationem habent R et H, F et R P, quam ut ii omnes codices, quanquam in duos ordines discedunt, alii ab aliis longius disponantur ; adeoque sunt in F lectiones optimae quaedam quae desiderantur in ceteris. Codices autem B I, qui quidem in prauis lectionibus uel conspirant uel singuli diuerse peccant et a genuinis magis abhorrent, pendere mihi uidentur ab aliquo exemplo quod fuit F et H simile. Itaque cognatio codicum hoc stemmate depingi potest :



His quamuis fuse dictis habes et locum et auctoritatem Floriacensis minime spernendam, qua nunc auctoritate utar ad emendandam scripturam. Verum enimuero, ne quid pro certo temere coniciatur, exempla quaedam proponam in ueteribus editionibus mendosa, quae per exploratos codices Huemero ipsi licuit, et rei quidem inscio, mirum in modum ad clausulas reducere. Etenim mihi primum de Seduliano claudendi genere inuestiganti erat in manibus Areuali editio : quam quotiens extra cursum uersari sentiebam, mendosam ibi esse suspicabar ; et multa statim conieci, quae mox Huemeri editione plane habui confirmata :

CLAVSVLA SPONDIACA

Vet. edit.	Huemer.
I XXVII, iam referre pudet	190 17 referre iam pudet.
I XXVIII, pretiosus enim lapis	142 15 pretiosus est lapis.
I XXIX, ipse locutus est doctrinam	194 5 locutus est ipse doctrinam.
II VI, fragilitatis aufert	202 18 fragilitatis auferret.
II VII, gentis infero	205 14 gentis inferno.
II XIII, baptisatus Dominus ascendit	213 15 D. baptisatus ascendit.

III xxiv, sortis excedat cursus (sic F	251 4 sortis cursus excedat.
IV ix, uiolentia disruptis [cum B I)	261 15 uiolenta disruptis.
IV xiii, gyros torquens (H F B I[1])	264 3 gyros intorquens.
IV xviii, talia sibi Dominum fluenta largiri orat.	268 13 orat tal. sib. Dom. fluenta largiri.
IV xix, immunditie restinctum	269 10 inundatione restinctum.
V x, uetatque attingi	282 17 uetat adtingi.
V xi, protaxerit in crimine	283 10 protraxit in crimen.
V xix, obscuratus mundus	290 9 obscuratus est mundus.
V xxvi, irradiare felix, etc.	295 3 inradiare festiuus, etc.

---

[1] In suo apparatu Huemer male tribuit codici P prauam lectionem *torquens*. P clare habet : *gilos intorquens* (fol. 56ᵛB). — Licebit hic alios quamuis leues Huemeri errores adnotare. Prima vox lectionem Huemeri indicabit cum pagina et linea editionis ; uox altera italicis litteris meam lectionem referet. 173 8 oblocum, *oblicum*. 173 16 cursus, *concursus*. 176 13, ego, *ergo*. 178 8 quaeso iam, *iam quaeso iam*. 178 18 multiplice, *multiplices*. 180 12 niuea, *niueo*. 180 10 qua, *quo*. 183 14 permansit nuda, *unda permansit*. 183 22 dubitat, *dubitet*. 187 3 ardorem, *ardorum*. 188 13 statione, *satione*. 189 2 cultis, *culptis*. 189 17 principio, *principia*. 189 19 mensium, *mensum*. 190 7 arbore, *arboreis*. 190 13 suffulciant aut, *suffultiant at*. 192 6 thronus, *thronum*. 192 7 est pedum eius, *pedum eius est*. 197 14 externum sanguinem, *externum sanguine*. 198 16 inmensa, *inmensam*. 198 17 laesura, *laesuram*. 199 12 uentre, *uentro*. 201 2 modico, *medico*. 201 23 dicebant, *decebant*. 203 2 Herodis regis, *Herodis*. 204 15 in prophetis mei-, *in prophetas meos*. 206 14 sint et aperta, *sint aperta*. 206 19 praesentis temporis, *praesenti tempore*. 206 25 Dei gerentes, *digerentes* (*di* sine siglo). 207 7 tamen [erasum], *tamen*. 208 1 regi, *rei*. 208 14 semper quod est, *semper est*. 209 16 per ordinem talia gesta, *talia per o. gesta*. 210 9 quonam, *qm = quoniam*. 210 9 morti, *mori*. 212 7 peccatum, *peccata*. 212 22 conuersus est, *reuersus est*. 213 8 mihi bene complacui, *mihi complacui*. 213 10 Dominus de aqua (Dominus om. P), *de aqua Dns*. 215 6 uirtute, *uirtutem*. 215 17 ne repetitionem, *ne petitionem*. 215 18 suscipit, *suscepit*. 216 20 cupiditate, *cupiditatem*, 218 4-5 descendit et inclinauit caelos, *et inclinauit caelos et descendit*. 218 9 ergo conatur, *ergo ultra conatur*. 219 8 prosapie, *prosapies*. 220 5 solus, *solum*. 222 2 nisi ut cor, *nisi cor*. 223 7 continentiae, *continentia*. 225 4 abuiditas, *abdiditas*. 225 5 exercenti, *exercendi*. 226 1 epistola, *epistolas*. 227 3 uel negandam, *uel neganda*. 227 5 cernimur, *cernimus*. 227 10 siue pecunia, *si pecunia*. 227 11 hoc relaxa, *hoc relaxat*. 227 12 et nos tam delictorum crebra, *et nos crebratam delictorum* 229 14 tenui calle, *tenuit calle*. 229 15 latenter, *latentur*. 232 10 et nomen, *ac nomen*. 232 14 ferbisse, *ferbuisse*. 233 4 contigit, *contingit*. 234 10 ualidique, *ualidiquem*. 236 9 nisa sunt, *sunt nisa*. 240 9 contingere, *contingeret*. 241 21 praestiti, *praestituit*. 242 2 permoti, *permota*. 242 7 deprecabant, *postulabant*. 242 16 demonio, *demonia*. 243 2 uideant, *uiderant*. 243 7 adpropinquauit, *propriauit*. 245 10 liuido, *liuidi*. 246 3 erecta, *erectam*. 247 1 caerulosa aestuantis, *caerulos aestuantis*.

CLAVSVLA DICRETICA

I II, surgentis diluuii inundatione	179 18 surgentis inundatione diluuii
I II, plagae temporis (*alias* tempore)	180 17 plagae temperies.
I XXIX, quid ergo principium est	193 21 quid est ergo principium.
I XXX, tuus semper incola	195 9 tuus semper ut incola.
II II, acerba uorauerunt	198 13 acerba uoraucrant.
II IV, saepe dixerit	200 15 saepe se dixerit.
II XVII, crimen facile admittitur	228 11 facile crimen admittitur.
III X, nil proficiens	240 5 nilque proficiens.
III XI, corpusque gelidum	241 18 corpusque iam gelidum.
III XXVII, humilitatis socia	253 20 humilitatis est socia.
IV XI, euoluto circulo	262 8 euoluto curriculo.
IV XIII, globeo cuneata rabies daemonico	263 20 g. r. cuneata daemonico.
V XXVII, angelus descenderat	295 19 a. namque descenderat.
V XXVIII, uirtus ad exuuias	297 2 uirtus exuuias.
V XXVIII, unctus ultra dabitur	297 14 u. ultra iam dabitur.
V XXXIV, labore perpili, etc.	300 5 labore peruigili, etc.

CLAVSVLA DITROCHAICA

I II, multiplicare restitutum	179 19 multiplicas restitutum.
I XXIX, secutus tenebrosa est	193 5 secutus est tenebrosa.
I XXIX, filius est nunc cernitur	193 12 f. esse nunc cernitur.
II III, praesenti annuntiauit	199 6 praesentia nuntiauit.

---

248 15 filia sospite, *filia ospite*. 250 9 summae, *supmae=supremae*. 250 15 quibus, *cuius*. 251 19 adhuc fletibus, *adhuc in fletibus*. 253 14 ceruicem diabolicae uere, *c. vero diabolice*. 257 1 occulit, *occulti*. 257 5 ospitium, *ospitio*. 257 8 quod, *quae*. 257 9 impensa, *inmensa*. 257 14 reluctantur, *reluctabantur*. 258 12 spiritalibus, *spiritalitatibus*. 259 17 fletu, *flectum*. 261 19 dominicae uirtutis dona, *dominicae dona*. 264 4 copiose, *capiose*. 264 12 ammonens, *ammones*. 265 11 uidit, *uidet*. 266 15 miseranter ac dixit, *ac miseranter aedixit*. 267 5 Dominus Christus, *Dominus Ihs Christus*. 267 8 turoritiae, *trititiae*. 267 11 transmeare, *transmere*. 268 6 praeteriens, *pertransiens*. 269 10 inmunditione *inundatione*. 270 7 praeceptis, *praeceptus*. 271 19 altis, *aliis*. 273 1 copias, *copiosas*. 273 11 signauit, *significauit*. 276 12-13 tunc fallax... tunc proditor, *tunc fallax... tunc proditor*. 277 3 ne quo se tempore, *ne queso tempore*. 279 22 preci, *prece*. 280 19 cum Domino, *pro Domino*. 282 17 attingi, *attingit*. 282 20 habet aliud leti ista species, *habet et aliud ista laeti species*. 283 2 patefecit ex, *patefecit et ex*. 283 3 modo iam, *modo tam*. 297 2 exuuias, *excubias*. 297 9 Judaea, *Iudae*. 297 12 perfrueris, *perflueris*. 298 3 deserentis, *deserentes*. 298 8 claritate, *claritati*. 299 2 perforatus, *perforatus (perforat')*. His lectionibus liquet codicem P ineptissime esse scriptum ; sed haec omnia mendosissima non sunt ex bono apparatu eicienda, quippe quae ad auctoritatem uel cognationem libri disceptandam prodesse multum possint.

II IV, conceptus et creatus est	200 5 conceptus est et creatus.
II IV, uidebatur praenitere	200 10 uid. gratia praenituere.
II VI, Dei et hominis mediator adprobatur	202 17 D. med. et hominis adprobatur.
II IX, somno crediderunt	209 8 somnio crediderunt
II XVII, generibus diuersis	228 1 generibus ac diuersis.
III VI, a littore ueheretur iam carina	235 9 u. a litore iam carina.
III XII, misericordiam deprecabantur	242 7 misericordiam postulabant.
V X, culmine sit lapsus	283 3 culmine sit prolapsus.
V XVII, litteris graecis ac latinis	286 18 graecis litteris ac latinis.
V XVIII, Dominum sic precabatur, etc.	289 7 Dominum sic precatur, etc

Nemo igitur, ut opinor, mihi uitio uertet, quod auctoritate codicum praecipua fultus, scripturae totiens mederi conatus sum, quotiens mihi claudicans obueniebat clausula. Atque eas in primis emendationes proponam, quae cum codicibus optimis PR congruunt, mox quae cum ceteris, denique eas quae, cum nullis codicibus confirmentur, tamen aliqua ex parte sensum et numeros perficiunt.

I I, 178 17 *feconditas nutrit segetem reuulsa sentium asperitate crescentium*. Legimus in P *crescentium quae nimia* manu priore; *crescentem* manu altera; in FR *crescenteque nimia*; in HI *crescentemque nimiam*. Medela igitur haec est: *fecunditas nutrit segetem* | *reuulsa sentium asperitate crescentem. Quae nimia*, etc.: atque dixi Seduliani moris esse ut rhythmi prius intercidantur, utque mox suauius in legitimos numeros solitosque rimos incidant.

I IX, 183 14 *tellus permansit nuda*. Non animaduertit Huemerus esse in P: *tellus nuda permansit*; quae lectio et antiquitatis et numerorum auctoritate praestat, et controuersiam omnino dirimit.

I XXIX, 194 13 *quorum prudentia iacet stulta*. Scriptum fuit in R **stulta* (*e* uel *o* eraso); in P manu priore *inguita*, altera *inculta*. FHI numeris obsecuntur (*inculta*), atque cum P² omnino conspirant; malo igitur *inculta*, uel (ut acutissime coniecit Hartel) *insulsa*.

II V, 201 5 *dominatur et infernis*. Huemerus a libris suis dissidens *infernis* scripsit, et male quidem in codice H exaratum est *eum frenis*; át in ceteris illud aptissimum numeris legimus *infimis*, praeterquam quod in meo F transpositum est *infimis dominatur*; neque hic uerborum ordo defensione

caret ; sed optimorum librorum scriptura retinenda est : *infimis*[1].

II vii, 204 10 *minus forte deliqueras, si de Christo nihil quaereres.* RFHI damnandum hoc habent *nihil*; P autem recte illud *nil*; (propter rimos malim *delinqueres*, quod testantur RFHI).

II viii, 207 7 *Dauitico testimonio sic explanauit.* Praeferenda est scriptura librorum PR, quorum maior auctoritas est : *planauit.* Neque uerbum omnino inusitatum uidetur, quippe quod apud poetas Sedulii fere aequales legatur, quanquam in his haud translatum esse fateor :

> Ducitur extensum *planati* gurgitis aequor (Avitvs, v 698).
> Ante pedes *planata* uias (Coripp. *Laud. Iust.* ii 223).

Atque apud Sedulium ipsum legimus IV i, 255 6 *ardua planare* (cf. Carm. iv, 7).

II xii, 212 15 *ita nos ab originali contagione*[2]. Nescio an huic loco adhibendum sit remedium, cum post illud *contagione* fortasse sensus non intercidatur ; Sedulianae tamen consuetudini adcommodatius est hoc *originali contagio*, quod in PHF bonis libris seruatur.

II xiv, 215 8 *uideret hominem.* Recte exhibent PRH *uideret et hominem.*

II xvii, 224 22 *si uacans animus uel paululum ieiunus remanet.* Ex coniunctis testimoniis Sedulianorum librorum tantum non omnium locus sic reconcinnandus est : *paululum ieiunarit.* Huemero enim codicem solum R ducem sequenti parum feliciter meo iudicio res cessit, cum exhibeant PFI *ieiunauerit*, HB *ieiunarit* uel *ieiunaret ;* atque huic loco sic instaurato rimus accedit : *si uacans animus uel paululum ieiuna*RIT | *magnae famis penuriam sustine*BIT.

III ix, 239 18 *dilapsamque animam membris restitue iam frigentibus.* Huemerus bonorum librarum PR repudiauit scripturam *frigentis*, cuius tamen optimi sunt numeri, neque ratio peior : *frigentis* enim idem est quod *defunctae.*

III xxi, 248 11 *uitio anxiata.* Sic Huemerus male libros abiciens, quorum alii habent *sauciata* (PRF) alii *sauciatae*

---

[1] Nec obstat locus hic sensu alius, V xxv, 294 20 *dominatur et inferis.*
[2] Cf. L. Bayard, *Le latin de saint Cyprien*, p. 304.

(HBI) ; nec enim propter hiulcum sonum recipere possumus illud *anxiata*, nec propter numerorum perturbationem huic Hartelianae correcturae accedere, *sollicitata*. Neque uideo quamobrem hoc *sauciata* impugnetur, quod alibi a Sedulio tritum est. Cf. III x, 240 4 *cruoris fluento. .mulier sauciata ;* III xii, 242 5 *luminibus sauciatos;* IV vii, 259 16 *delictorum uulneribus sauciata*, etc.[1].

III xxiii, 249 7 *si per callem redituris gressibus ingeminantem*. Sic Huemerus Hartelio obtemperans et a codicum auctoritate omnium discedens, in quibus legimus hoc omni ex parte numerosum *gressibus imminentem*, atque sententiae satis conueniens, i. q. *per callem quae eorum redeuntium uestigia manebat*, gallice *le chemin qu'ils étaient exposés à faire de nouveau*. (Cf. V xviii, 290 4 *locis remotioribus imminentes*).

IV xix, 268 18 *sacris moenibus resideret templi*. Ut ipsi numeri, sic libri omnes correcturam Huemeri damnandam esse testantur ; suadentibus enim P R F H B I, et flagitantibus numeris nec ipso repugnante more Seduliano in traiciendis uerbis, restituendus est locus hoc modo *s. m. resideret in templi* : quo accedit quod codicis P librarius cum genetiuum post illud *in* positum uideret, inmerito ablatiuum instaurauit *templo*.

IV xix, 269 6 *sceleris nihil haberet*. Extat in plerisque libris *nihil*, neque numeris consentaneum est ; ueram igitur scripturam tradidit uetustissimus omnium codex P *nil*. (Cf. p. 106.)

V xi, 283 16 *deputatus ut obiret*. Haud scio utrum Huemerus sic de industria scripserit, an in corrigendis plagulis hanc eluendam maculam neglexerit. Recte enim sine ullo dubio legimus in PRFB *deputatus est ut obiret*, qua uocula deceptus Ludwigius, clausulam priorem hac etiam male auxerat, *deputatus* [*est*] *ut uiueret*.

V xvii, 287 21. *Dictus est rex Iudaeorum*. Transponendum esse illud *rex* docemur bono libro R : *rec dictus est Iudaeorum*.

V xxx, 298 7 *reserans ac detegens*. Sic Huemerus male

---

[1] Cf. *infra*, p. 114.

cum R B quos quidem meus F assequitur. Nam eadem utroque fere uerbo exprimitur sententia, et clausula molossum expostulat in exitu. Potius igitur obtemperandum est libris P H, in quibus legitur *detergens*. Atque in margine libri R hanc quoque scripturam librarius recepit : *uel detergens*[1].

In his quidem exemplis sedecim, optimorum librorum scriptura retinenda erat. Nunc alia uitia tralaticiae scripturae proponam, quibus quanquam librorum optimorum ope mederi non possumus, numeris tamen docemur medelam e ceteris libris, si qua sit, esse quaerendam.

Praef. 173 8 *ol locum*. Legimus in ueteribus editionibus, quae pro libro I fidem faciunt, (et in H manu priore scriptum erat) *obloquium*.

I i, 177 18 *ut cum uitales auras diuinae legis spiramenta flagrantis | odorem gratiae suauitatis hauriatis*. Sensus ui numerorum post illud *flagrantis* interciditur. Sedulianae igitur arti magis convenit ut adjectiuum illud postremum ei substantiuo referatur quod est *auras*, cuius rei exempla sescenta in Opere pascali reperies ; atque scriptura librorum F I sola huic rationi conueniens reuocanda est *flagrantes*, uel potius *fragrantes*, ut ipsa sententia flagitat. Mox scripsit Huemerus *odorem*, quanquam in adparatu censet *odore Hv fortasse recte*. Habet autem noster F *odore*, et ipse sensus ablatiuum expostulat. Tum cum suis libris consentiens Huemerus scripsit *gratiae* ; est autem in F illud *gratae*, quod aptius est substantiuo *suauitatis*. Nec Huemeri suasu adducor ut recipiam coniecturam hanc *suauiter*, quae lectio librorum auctoritate caret. At certissime teneo legendum, ut scribitur in FI *suauitatis hauritis*, propterea quod hac emendatione perficiuntur numeri, neque grammatica lex infringitur. Hoc igitur modo locus totus persanandus : *Ut cum uitales auras, diuinae legis spiramenta fragrantes, odore gratae suauitatis hauritis...*

I i, 179 2 *maxima recondat in horrea*. Sic Huemerus cum suis libris omnibus, quos omnes uno uerbo decurtatos suspicor. Habet enim meus F *maxima recondat in horrea con-*

---

[1] Cf. Carm., V, 367 ; et infra, p. 116.

gregatum. Quanquam autem ex more Seduliano legitima est ea spatiorum copulatio quae est -◡◡-◡~, raro, praequam quod ceterae sollemniores, usurpatur; atque integratae clausulae condicionem eam esse uideo, ut etiam his rimis ornetur quibus ars Seduliana uti solet : *centenis cumulis fruc*TVM | *maxima recondat in horrea congrega*TVM.

I v, 182 3 *quem genitor munus Deo obtulit*. Hanc lectionem cum numeri impugnant et ipse concursus uocalium Sedulio ingratus, tum etiam refellit scriptura librorum F H I *obtulit Deo*, quae in Tullianum genus cadit, atque, ut Seduliani etiam moris est, rimis obsequitur : *quam genitor munus obtulit Deo*, | *cuius fuerat in desperatione promissio*.

I viii, 183 6. *In inmitem... mutata est draconem*. Corrigendum uidetur, ut H suadet, *inmitem mutată est in draconem*.

II i, 197 9 *duo tantum fuerant aeterni*. Huemerus conspirantibus P R I consensit; itemque habet F. Sed ueram scripturam praebet H : *duo fuerant et aeterni*. (Cf. p. 106, *uideret et hominem*.)

II vii, 204 21. *A quo uerax prophetia descendit*. Quo clarior fiat emendatio, legendus est totus locus. *Nonne legeras eum dauitico cantico sic monentem : nolite tangere* CHRISTOS *meos, et in* PROPHETIS *meis nolite malignari? Cum ergo diuinae praeceptioni parere necesse sit, ut neque* CHRISTI *eius neque* PROPHETAE *maligna quicquam improbitate sustineant, quia uidelicet spiritali consecratos unguento, nefas grande sit contumeliose tractari : quale nomen habebit hoc crimen, ut ipsum Dominum* CHRISTVM, *a quo* CHRISTI *sunt nuncupati, ipsum uerum* PROPHETAM, *a quo uerax* PROPHETIA *descendit*.. Valde claudicat clausula, et sententiam male perficit. Sedulius enim id secutus est, ut Christos et prophetas Dei cum ipso Iesu Christo et propheta uero compararet, qui unus omnium dux auctorque caelestis extitit. Non est igitur quod patiamur in scripturam inmigrare illud *prophetia*, cum sine ullo dubio hic de *prophetis* agatur. Significatur quidem uera scriptura lectione librorum F H *prophetam*, atque in F altera manu supra litteram *a* ductus est apex qui casum accusandi notat. Locum igitur sic integrandum puto : CHRISTVM, *a quo* CHRISTI *sunt nuncupati*... PROPHETAM *a quo uerax* PROPHETA *descendit*. (i. q. *a quo uerax omnis propheta*...)

II viii, 208 14 *iuuentutis suscepit incrementum*. Numeri

suadent, nec sensus impugnat, et in R 2 quidem legimus *suscipit* (cf. uerbum prius *consistant* et posterius *desinant*).

II VIII, 208 22 *Vide distantiam utriusque substantiae, Deum discernentem et hominem:* Malim, ut uitetur hiulcus sonus, id quod repperi in F alia manu scriptum, *discernentis.*

II XII, 212 2 *expetens quod uenerat ut donaret, abluendus qui uenerat abluere.* Posterius *uenerat* mendose in PRH obrepsit inductum priore, quod quidem numeris et sensu rectum est. Neque tamen defensione caret illud *ueniebat* quod legimus in FI, et numeris aptum uidemus.

II XIV, 218 4 *De quo clamans Dauid dicit.* Sic in PR libris optimis. At legimus in B *clamat Dauid dicit,* atque in F cum quo ueteres editiones conspirant, *clamat Dauid et dicit,* qua lectione salui sunt numeri [1].

II XVI, 219 12 *elegit et infirma.* Sic Huemerus cum PHFI et loco Sancti Pauli I *Cor* 1, 27 consentiens. Sedulius autem nunc non ipsamet Pauli uerba sedulo scribit, sed euoluit ; numeri igitur hoc flagitant, quod in R reperimus *infima* (*r* eraso). Cf. p. 94 *dominatur et infimis.*

II XVII, 222 5 *se clarificatum esse memorat.* Habent FI *memorabat,* eamque censeo lectionem retinendam, quae numeris obsequitur et rimis.

II XVII, 226 9 *lactea uelut infantes bibere.* Cum FHBI malim *ebibere.*

III VI, 236 1 *secundum dauiticam prophetiam.* HBI praebent eadem uocabula transposita *s. prophetiam dauiticam.* F habet illud *secúndum prophétam,* quo seruantur numeri.

III XI, 236 18 *obedire domino.* Sic Huemerus cum PRHI; sed haec lectio et sensu caret et numeris. Legendum, uelut in FB, *obedire dominio.*

III X, 240 3 *ibat autem turbis mixta.* Quamuis breue sit incisum, Seduliani moris est ut post subiectum pluribus uerbis constans interspiratio uocis exitu numeroso signetur ; suspicor igitur mancam esse uocem *mixta,* atque lego, in FBI *inmixta.*

III XIV, 244 10 *Nullus namque sine Domini largitate | potest habere quod ministret.* Sic PR suadentibus scribere maluit

---

[1] Cf. III XIV, 244 15 et *iterum monet idem doctor et dicit.*

Huemerus. At in HI legitur : *potest habere famulis quod ministret* ; itidemque facit B, praeterquam quod omisit illud *habere*. Pariter tamen HBI sensu carent, quamuis apte ad numeros cadant. Exhibet uero scripturam ueram meus F *nullus*..... FAMVLVS *quod ministret*, quae et sensum perficit et numeros.

III XV, 245 1 *desperatis usibus iam positam* (*manum*). Sic PRH ; sed FBI multo rectius *iam sopitam*.

III XV, 245 8 *qui humanae saluti nihil adimit*. Numeri flagitant *nil*, quod praebent FBI (cf. pp. 95, 96).

III XVI, 245 17 *uisum reddidit, os mūtauit*. Malim id quod est in FHBI et cum Sedulianis numeris magis concinit : *os nŏuauit* (cf. CARM. III 197 *ora nouauit*).

III XXVI, 252 8 *genuinisque aequoribus*. Omiserunt *que* PF, quod et erasum esse uidemus in H, et obstare numeris tenemus.

III XXVI, 252 12 *imitatores esse uoluit doctrinae*. Sic Huemerus cum PRFH ; at rectius transponunt BI *uoluit esse doctrinae*.

IV II, 256 16 *malus est rector ubertatis*. Sic male PR ; recte uero FHI *malus rector est ubertatis*.

IV X, 261 20 *Christus expuit*. Sic Huemerus cum omnibus suis libris. Sed in F legimus *Christus* VT *expuit*, qua uocula numeri perficiuntur et absoluitur sensus.

IV XI, 262 5 *imbuerat oraculis*. Sic Huemerus cum P R H. Rectius tamen est id quod legimus in F B I, *imbuebat oraculis*.

V V, 277 12 *Domino et mori dixit*. Ducem librum R in hoc secutus est Huemerus. Habet P *mori cum Domino et dixit*; F H B I *mori Iesus respondit ac dixit*, quae scriptura numeris consentanea retinenda est [1].

V VIII, 279 3 *gallus diei nuntius cantauit*. B solus ueram scripturam praebet *cantitauit*.

V X, 281 12 *uinculis adstrictum*. F B I rectius *uinclis* [2].

V X, 282 4 *frustra remedium inuestigabat*. Sic PR. Habe-

---

[1] Cf. V XXXVIII, 302 19 *respondit evidenter ac dixit*.

[2] Cf. p. 75.

mus autem in F *uestigauit*, in H I *uestigabat*; quod iteratione soni *uestiga*BAT-*tene*BAT melius esse puto.

V x, 282 6 *radices applicata*. Sic P R B. Sed alium exitum expostulant numeri. Habet quidem F *apposita* numeris optimis; illud uero cum longius a sincera lectione discedat, hoc malim, quod praebet H, *applicita* (cf. III xii. 242 12 *dextra serenitatis applicita* (*applicata* B).

V x, 282 14 *uideretur flagitio*. His uerbis interuenire uocula *illa*, docemur testimonio librorum F I : *uideretur illa flagitio*.

V x, 283 4 *nuper apostolus, nunc apostata nominatus est*. *Est*, cum non possit cum antecedente uocabulo conglutinari, excedatque numeros, sine mora delendum est; nam neque legitur in F I, neque ipso rerum sensu desideratur.

V xi, 283 7 *regem se dixisse*. Malo cum F B I *regem sese dixisse*.

V xii, 284 22. *genus passim inuaserant*. Propter hiatum malo scripturam mei F *passim genus inuaserant* (cf. p. 38).

V xiii, 285 5 *nihil iam mutabile sumpturus*. Sic P R, a quibus non ita recedunt B (*mortale sumpturus*) et I (*motabile sumpturus*). Potior tamen est scriptura librorum F H et ueterum editionum : *nihil iam sumpturus mutabile*. Cum autem alius aliis in libris ordo seruetur, haud scio an uerba non fuerint male a librariis transposita ; atque fortasse habere potest quo se defendat illud quod est : *nihil mutabile iam sumpturus*.

V xiv, 285 8 *felle mixtum*. Sic P R. Rectius F H B I *felle permixtum*.

V xviii, 288 15 *hunc elegit, hunc reliquit*. Haud dubie perturbantur huius clausulae numeri mendosis uerborum temporibus et fortasse memoria CARMINIS (V 211, *hunc eligit hunc reprobauit*). Credo igitur fuisse in exemplo primo *hunc éligit hunc reliquit*; atque me mouet scriptura mei F : *hunc eligit, hunc relinquid*, in qua manus alia litteram *n* extriuit.

V xx, 290 22 *contresmescens fundamentis*. Sic P R H ; habent uero FBI id quod numeri expostulant, *contremens fundamentis*.

V xxiv, 293 11 *conueniunt haec sacramenta*. Sic P R. Sed in margine codicis R scriptum est *uel secrata* : H B I exhibent *sacrata* ; atque his sane integrantur numeri, sed depra-

uationem uerbi fortasse seruant; mihi multo magis placet scriptura libri mei : *conueniunt haec secreta.*

V xxv, 294 12 *innocentis exitum.* Malo cum libro H 1 (quamuis breue sit incisum) *innocentis exitium*; atque hoc sensu ea uox in OPERE PASCHALI trita est.

V xxviii, 296 9 *miracula referentes.* Insolentes fere sunt apud Sedulium eiusmodi numeri; itaque compellor ut scripturam libri I quamuis praui recipiam, *perferentes*: namque meus F quanquam in hoc peccat, ueram tamen scripturam significat *peruerentes.*

V xxviii, 296 15 *nón-uides et periculi.* Rectius F B I *pericli.*

V xxxi, 298 13 *gesserat ante.* Pro certo teneo hunc locum claudicare, cum aegre patiatur Sedulius exitum heroicum; clausulamque suspicor uno hoc uocabulo esse decurtatam, quod praebent F B I, *gesserat ante martem.*

V xxxii, 298 17 *laetitiam tribuens repensam.* Rectius F et ueteres editiones *repentinam.*

V xxxiv, 300 12 *dextera sectantes.* Melius habent H F B I *dextra* (xxxiv, 301 16 *dexteris adstantes*; *dextris* H B F I)[1].

In his igitur nouissimis exemplis 46, cum numerorum concinnitas suaderet ut ab iis libris qui habentur optimi recederem, uideor mihi ab emendatione uera parum afuisse; pauci uero supersunt loci, quibus quanquam nullam medelam in supellectile critica paratam uideo, coniecturae tamen prudentis remedium comparare mihi licebit.

I xxvii, 191 9. *Ipsa tutum salutis habitaculum, ipsa perpetuum libertatis hospitium. Si enim de terrena mortalis regni ciuitate*, etc. Clausula bis claudicat, *salutis habitaculum*, *regni ciuitate.* In ueteribus quidem editionibus legimus *mortalis habitaculi ciuitate.* Fortasse ergo uox *regnum* priori loco adsciscenda est, ut tota comprehensio sic instauretur : *Ipsa tutum salutis regnum, ipsa perpetuum libertatis hospitium. Si enim de terrena mortalis habitaculi ciuitate.* Malo enim *regnum* illud, quo rhythmus infringitur ut Seduliani moris est, quam huius *habitaculum* uicaria forma *habitaclum*, cuius nullum aliud Sedulianum extat exemplum.

I ix, 184 4 *nil periculi formidans.* Vt in ueteribus editio-

---

[1] Cf. p. 75.

nibus puto legendum *n. pericli formidans*. (Cf. pp. 75, 113.)

II VII, 205 7. *Ille quidem pepercit inimico se uolenti perimere; tu autem insidiaris Domino*. Exemplis allatis pp. 106, 109 (*duo fuerant et aeterni, uideret et hominem*) impellor ut credam eadem uocula integrandos esse hoc loco numeros : *tu autem insidiaris et Domino*.

II, XVII, 227 4. *Dinoscĭmus exemplis*. Libri fere omnes habent *dinoscimur* (PR[1]FB); erat in I *dinoscitur*. H uero *dinoscimus* exhibet, cum quo R[2] conspirat. Equidem horum lectionum nullam probo; aegre enim desidero paenultimam eam longam quam flagitant numeri. Proponam igitur *dinoscāmus*, eo coniunctiuo praeditum modo qui imperatiui partes agit : lege enim quaeso comprehensionem totam : *Si diligentius petitionis nostrae uota metiamur, uel tribuendam nobis indulgentiam uel negandam propriis dinoscamus exemplis*. Nisi quis malit *si metiemur..., dinoscēmus*.

III XVIII, 246 14. *redundare fecit quantitatem*. Hic me sensus et numeri in diuersum trahunt. Pro certo enim habeo corruptum esse illud *fecit*, cui repugnant libri optimi PRFH (*fecerit*). Quanquam uero hoc *fecerit* recte cadit ad numeros, nescio quomodo rationem eius probem. Fortasse uerborum continuatio male descripta est. Habent enim paullo prius PRF *duorum modo piscium*, BHI *modo duorum piscium*. Nec tamen mihi uidetur ab ultimo loco uindicanda uox *quantitatem*, quae, ut mos est Sedulio, sonum prioris clausulae iterat. Nisi quis igitur uelit Sedulium contra legem grammaticam saluis usum esse numeris (*fecerit*), hunc ordinem uerborum recipiam : *duorum modo redundare fecit piscium quantitatem*.

II XXVI, 252 4 *probatur esse dominantium*. Pro certo teneo corrigendum esse *dominantum*; confer enim exempla Seduliana haec : Carm. I 203 *credentum*, III 148 *precantum*, III 262 *egentum*, III 267 *uescentum*; Op. II IX, 209,15 *confidentum*; III XXVIII, 249 10 *indigentum*; denique Carm. III 313 *dominantum*.

V XV, 285 15 *salute dedicauit*. Hos numeros Sedulius uix adhibuit, neque probandum id quod in priscis editionibus legitur *dĭcauit*, quo fieret heroica clausula. Amplector igitur hanc Huemeri coniecturam sane praeclaram *ditauit*, nam in uetere scriptura *c* et *t* facile permutantur.

Has igitur correcturas uix septem recipio, quae quanquam libris aduersantur, ad ueram tamen scripturam propius accedunt. Si quis autem perpenderit emendationum mearum partes quattuor ex libris esse petitas, is mihi facile concedet partem relicuam, ut iam mecum teneat maximi momenti esse clausulas in illo PASCHALI OPERE persanando, atque habendum esse respectum noui huius critici subsidii ut extricari possit quid a Sedulio uere sit profectum.

Restat nunc, priusquam harum rerum finem facio, ut nonnulla perstringam de ui clausularum in interpungenda oratione Sedulii. Per numeros enim patet interpuncta et commata non pauca esse male ab editoribus conlocata, quae ut rectius dispertiantur, ad adminiculum numerorum haud paruum adniti possunt. Haec accipe pauca exempla.

Scripsit Huemerus EP. AD MAC. 172 1 *uiserem tarditatis. Siquidem multa*... Neminem tamen fugere potest, *tarditatis* inane esse uocabulum, illud uero *siquidem* comprehensionis initio collocatum a lege grammatica et a Seduliano more discedere. Verbum enim *siquidem* in Seduliana prosa quindeciens adhibitum est : duodeciens post primum comprehensionis uerbum, semel post uerba tria uel quattuor ; semel ordinem ducit in eo loco quem nunc improbamus, semel in alio loco dubio (II XVIII, 230 6). Videamus igitur libros. Habet P *uiserem Tarditatis*, sed plerumque ineptae sunt huius codicis interpunctiones. In R scriptum est *uisere tarditatis*, in H *uiseram tarditatis* (*e* eraso). At fuit in I *uiserem Tarditas siquidem*.. , atque F testatur *uiserem. Tarditatis siquidem*. Concinne igitur Iuretus coniecerat : *opera nunc uiserem; tradita siquidem multa*. Sed peccato clausulae medendum est in uoce *uisĕrem*, ut longa fiat paenultima ; aliqua igitur cum probabilitate corrigendum esse puto *uidērem*. Hinc efficitur ut mox (172 5) maius interpunctum desiderem, ubi Huemerus leui commate contentus est (*magis est adsecuta ;*).

I XXIX, 193 14. *Dominus autem qui uerbum uirtus sapientia et totum commune Patris est* [1], *Christus de lumine lumen*

---

[1] Huemerus p. 413 peccata libri sui retractans, censuit interpungendum esse post *Patris est*.

exortum. Comma post *est* delendum uidetur, uel potius post *Christus* addendum : *totum commune Patris est Christus, de lumine lumen exortum.*

I xxviii, 192 18. *Igitur per digesta quaedam ueteris testamenti miracula retulimus, quaenam Pater...* Interspiratio uocis fit post uerbum *miracula* ; si quid igitur comma desideretur, ibidem id esse malim.

II xiii, 213 20 *et ne corporaliter uisus esse nesciretur Deus, uoce Patris asseritur.* Numeri et rimi flagitant : *uisus esse nesciretur,... Patris asseritur.*

II xiv, 215 9. *Mox antiquas molitus insidias ciborum, improbos dolos fallacia suscitauit adsueta.* Vox *ciborum* aperte referenda est ad sequentem uocem *dolos*. Sic interpunge : *molitus insidias, ciborum improbos dolos...*

II xvii, 225 17. *Nam et surdi quibus auditus minime suffragatur praeceptis caelestibus per oris officium legentes implentur similiter, et apostolus...* Numeri in haec incidunt *legentes implentur*, et illud *similiter* ad sequentia referendum est : *legentes implentur ; similiter et apostolus...*

II xvii, 228 16. *Moxque Dominus ille misericors donator, debiti non exactor.* Delendum comma post *donator*, quod non cadit ad numeros : *misericors ille donator debiti non exactor.*

III ix, 239 12 *uoluebatur ad pedes*, legitimos sed raros sequitur numeros; male ergo notatur interpuncto maiori, quod neque ipsa postulat sententia. *Tum genitor... Domini uoluebatur ad pedes, uix uerba precantia singultu quatiente confirmans, Miserere...*

V iii, 275 14 *Mox in Iudae corda, nequissimas sedes ubi liuor inuenerat...* Huemerus male interpungit post *corda*, ubi desunt numeri. Accedit quod in RFHBI *nequissima* legitur ; et littera *s* quae falso additur in P, ex posteriore uoce *sedes* fluxit. Legendum : *Mox in Iudae corda nequissima, sedes ubi...*

V x, 281 11. *Dominum conspiciens deriguit miser et horruit, pecuniamque, funeream mercedem scilicet cruoris innoxii...* Comma delendum post *pecuniamque*, reficiendum post *funeream* : *...pecuniamque funeream, mercedem scilicet...*

Haec exempla selegi, quo manifestiorem rem facerem ; poterit post me uir doctus quilibet, eodem nixus adminiculo, aliis fortasse mederi interpunctionibus. Verum iis locis etiam

nullo commate distinctis, in quibus tamen aliquae uerborum incisiones desiderantur, numeri multum utilitatis afferre possunt. Nec tamen more gallico plurima ponenda esse commata censeo, nec mihi probatur mos ille germanicus, quo tam rara fiunt commata, ut quattuor uel quinque uersus continuo sine distinctione scripti non sine multa animi intentione uix intellegantur. Quapropter censeo cum Ludouico Havet, distinguendas esse clausulas quibusdam inter uerba positis interuallis. Exempla rei paucissima afferam, earum in primis comprehensionum quae in editione Huemeriana commatibus carent.

Ep. ad Mac. 171 8. *Sanctis tamen iussionibus non resultans iniunctam suscepi prouinciam, et procellosis adhuc imbribus concussae ratis uela madentia tumentis pelagi rursus fatigationi commisi per emensos cursus reuoluti discriminis; et Cycladas ingentes, quas praecipitanti formidine celerius ante transieram, longa maris circuitione discurrens,* etc.

I II, 179 16. *Qui humani generis nomen praeter quos custos arca munierat , repentina surgentis inundatione diluuii mersum penitus ac sepultum , ex una rursus progenie multiplicas restitutum.*

I XIV, 185 17. *Postquam miracula terris plura monstrauit, suaque dignus successione per spiritum, uelut hereditaria largitate propriae uirtutis munus transtulit in amicum...*

I XXVII, 191 1. *Aut lilia nimio decore molissima rubus asper exurat, au per uiolaria florentis campi purpurea carduus et spinosis armatus aculeis paliurus exsurgat...*

II XIV, 215 12. *Qui tale iugiter opus exercens de saxeis terrae uisceribus produci segetem frugali uictu praegnantem, et spicea messium densitate cautis nutrimento crescente panis uberem cibum de lapidum fecunditate largitur.*

Ne plura, satis perspectum exploratumque est quot redundent fructus ex clausulis ad emendandas Sedulianae prosae malas lectiones uel interpunctiones.

CAPVT VII

Sermonem quem dicunt rhetoricum deprauatum esse affectata clausularum copia.

I

PASCHALE OPVS scriptum esse illo sermone quem grammatici rhetoricum dicebant, ex ipso Sedulio accepimus [1]. Qualis uero fuerit priscorum temporum dicendi ratio et disciplina, multis uirorum doctorum inuestigationibus satis liquet. Iam enim ab antiquis temporibus ea sententia fuerat peruulgata, solutam orationem cum traiectione uerborum tum splendore poetico et certis numeris esse perficiendam [2]. Eximii uero scriptores et Graeci et Latini qui primum floruere, cum exquisito litterarum iudicio uterentur, huiusmodi exornationem moderata quadam et composita ratione temperauerunt; ualuitque tantisper castigasta illa solutae orationis concinnitas, donec decursu temporis litterae abierunt in peius. Nam et atticus ille lepos paulatim decidit, et incessit quaedam putida nimis munditia dicendi, praeceptis rhetorum tra-

---

[1] Praecepisti, reuerende mi Domine paschalis Carminis textum.... me in *rhetoricum* transferre *sermonem*.... Certa sunt in *oratione* quae non habentur in Carmine (AD MAC. 172 1-6). Atque in libris nonnullis Sedulius rhetor uocatur. Cf. codicem quendam Carnotensem (s. X, n 110), f° 86vo : *Incipit deprecatio Sedulii rhetoris*; f° 87vo *Incipiunt capitula Sedulii uiri eloquentissimi.*

[2] NORDEN, *Die ant. Kunstpr.*, p. 509.

[3] *Ibid.*, p. 103.

dita, atque in dies inquinata. Nec tamen eo progrediar ut Xenophontem, Platonem, Aeschinum ex Gorgiae disciplina omnino profectos esse contendam, quanquam id quibusdam uisum est. Sed praestantes eos scriptores fateor rhetorum praeceptis plurimum profecisse, adeoque suis exemplis leporem ornatumque dicendi sic commendauisse, ut imitatores, qui postea secuti sunt, eorum uitiis potius quam bonis seruierint; atque Aeschinus ille, atticae uenustati proximus, Rhodiensem dicendi officinam instituisse traditur, a qua fluxisse ferunt asiatica orationis genera duo, alterum sententiosum et argutum, sententiis non tam crebris et seueris quam concinnis et uenustis, alterum non tam sententiis frequentatum quam uerbis uolucre atque incitatum, nec flumine solo orationis sed exornato et facto genere uerborum [1]. Asiaticum autem genus utrumque tum florebat, cum Graecia capta ferum uictorem cepit [2], statimque placuit orationis latinae scriptoribus, nec iniucundum fuisse uidetur ipsi Ciceroni, quippe cui saepe ab aequalibus uertatur uitio sua lectorum uerborum redundantia.

In illo tamen asiaticorum artificio summa mihi et caput fuisse uidetur quoddam dicendi studium quod poeticae rationi aemularetur. Namque oratio primum poeticum splendorem uerborum et sententiarum arripuit, mox certas claudendi leges, quibus si remissius, at certe se libentius implicauit. Tum ingrauescente litterarum uitio, oratio seipsam ita propriis addixit clausulis, ut reiectis paulatim iis numeris quibus inesse libertas aliqua poterat, e tam multis seruauerit paucos, quorum et concinnitas maior et uinculum adstrictius esse uideretur.

Neque tamen ego ex clausulis orta esse contendo, ea omnia peccata quaecumque ad rhetoricum sermonem pertinere doctissimi uiri iam ante me arbitrati sunt. Fuit enim sermo rhetoricus, antequam illis numeris clauderetur, et rebus et uerbis splendidus, et saepe concinnitate nimia putidus, et sensim iis coloribus male fucatus, quos tempora labentia patiebantur. Neque solis clausulis inquinatam esse oratio-

---

[1] Cic. *Brutus*, 95. 325.
[2] Hor. *Epist.* II i, 156-7.

nem uolo cum in ceteris scriptis tum in opere Sedulii. Quapropter fateor in OPVS PASCHALE quaedàm irrepsisse plebeia uocabula quae cum poeticis conformationibus male mixta repugnant[1].

Nec omnino a clausulis pendere censeo adliterationes uel lusus uerborum, aut uerba contraria aut per similitudinem translata, quae uitia copiose apud omnes huius aetatis scriptores profluunt. Sed Seduliani uerborum lusus uel translationes saepius fiunt in clausulis, ut per pauca exempla comperire licebit; primum lusus uerborum attende : I VIII, 182 19 *non ardens uidebatur ardere ;* I IX, 183 15 *populus pelago gradiens absente per pelagus ;* I XVI, 186 13 [Ionas] *uitale sepulchrum ne moreretur ingressus ;* 17 *nauta feritatem praebuit, fera nauigium ministrauit ;* I XXVI, 190 9 *lignee ligna quid obsecras ;* II III, 199 13 *genitoris genetrix mox futura ;* II VII, 205 12 *unctus agnosceris | persequens unctionis auctorem ;* II XI, 210 21 *ubi diuersis generibus lamentorum | dolor aderat non diuersus ;* II XI, 211 5 *quanquam Christus afuerit | absens esse non potuit,* 10 *ut, quantus esset, inferior demonstraret ;* III I, 232 3 *non pasci uisus est sed pauisse ;* III VIII, 239 3 *uectorem proprium humeris famulantibus mox reuexit ;* III XI, 241 11 *uetat ut mortuam lugeri uicturam ;* III XIX, 247 19 [Petrus] *pelagi uiator existens ;* III XXIII, 249 6 *geminisque laboribus excitandum | languens inedia nutriebat incommodum,* 14 *auctae sunt epulae dum uorantur, et cibos morsibus enutritos fecunda detrimenta generarunt ; expauit proprias fames fugitiua reliquias ... ; spem bibendi pariter ac uiuendi ;* III XXVII, 253 10 *quantum uicina fit solo, tantum uicina fit caelo ;* IV XV, 265 12 *utris putabatur esse non uterus* [hydropicus a Christo sanatus] ; II VII, 204 7 *legis ac neglegis ;* IV XIX, 269 7 *nullus purus inuentus est qui feriret impuram ;* IV XX, 270 1 *in lucem sine luce peruenit ;* V XI, 284 11 *iustum iniuste diuerberas, regem praeses examinas ;* V XXIII, 292 26 *sine morte licuit mori,* etc. — Nunc lege quasdam uerborum translationes : III VII, 237 16 [porcos] *olentis coeni semper amicitiis inuolutos ;* III VIII, 238 5 *nauigio famulante subuectus ;* III X, 240 9 *ab extrema pendentis*

---

[1] G. BOISSIER, *Rev. de Philologie*, VI (1882), pp. 28-36.

ora laciniae | *furtiuam rapuit sospitatem* ; 17 *mox undosi sanguinis riuos* | *maior fidei desiccauit alluuio* ; III XIX, 247 8 *sacraque Christi uestigia* | *miti pelagus alluuione lambebat* ; III XI, 248 17 *Hebraei graminis fecit introire per pascua* ; III XXVII, 253 9 *uitae simplicitas inclinatae*, i. q. *humilis* ; IV V, 258 10 [*arbor*] *comarum posita dignitate peraruit* ; IV VI, 259 6 *cui* [*muto*] *nulla labiorum cymbalis uox sonabat* ; 9 *latronem* [i. q. *daemonem*] *angustiis anhelantibus inminentem*, | *a faucis obsidione decutiens* | *per aperta uocis itinera* | *resolutae uinculis linguae* | *plena reddidit loquaci libertate commercia* ; V XI, 283 22 *Heu quam triste falcis acumen est* | *qui messem Iudaicae posteritatis abscidit!* V XXIII, 293 3 *O mors, serpente patre conciperis, et culpa genetrice procrearis*, etc. Vides Sedulium nostrum, quotiens lusibus uel translationibus uerborum usus est, eiusmodi acumina clausulis implicauisse et quodam modo commendasse.

II

Sed ad alias questiones conuertamur, quae maioris momenti sunt. Namque ui clausularum Sedulius eo perductus est, ut quasdam uocabularum formas prae ceteris adscisceret, et scribendi rationes quasdam quamuis legitimas tamen ultra modum aucuparetur, et ipsa uocabula inani geminatione aut uanis praepositionibus augeret.

Primum Sedulio potiores fuisse uerborum formas quasdam in clausulis, iam quasi praeteriens dixi, cum de illis uerbis disputaui quae sunt *pericla uincla nil*, etc. Nunc adicere pauca liceat de perfectorum uicariis formis *erunt* uel *ere*, *iui* uel *ii*, *auerat* uel *arat*, quarum ut alterutram adhiberet, Sedulius numeris morigeratus est. Nunquam enim formis usus est quae in *ere* desinunt, nisi cum trochaica uoce uel extrema parte uocis numeri indigerent. Haec eiusmodi exempla accipe omnia :

I xi, 184 18 *uomuere multiplicem*
IV xvi, 266 10 *uidere leprosi*
IV xvi, 266 13 *clamauere flebiliter*
V xxxiv, 300 9 *proiecere uestigia*
V ii, 275 5 *latuere dispositi*
III vi, 237 2 *deposuere torpore*
III xi, 242 2 *mutauere plangoris*
IV xi, 262 8 *ualuere frustrata*
III viii, 238 8 *detulere languentem*
IV ix, 261 16 *patuere impulsae*
IV xxi, 271 11 *patuere concussae*
III xix, 247 4 *petiuere nauigium*
III xii, 242 12 *micuere dominico*
III vii, 237 7 *prosiluere terribili*
V xxxviii, 302 10 *meruere sortiri*
V xxxiv, 300 8 *eduxere cum praeda*

I i, 178 11 *norunt releuare...*
I xiv, 185 11 *epulis transegerunt...*
I xvii, 187 5 *uicerunt imagineum...*
I xviii, 187 13 *uiderunt tempora*
II vi, 201 12 *Dominum cognouerunt*
II viii, 206 5 *adorauerunt autem*
II ix, 209 8 *somnio crediderunt*
II xii. 212 19 *senserunt tremendam*
II xv, 218 18 *praebuerunt angeli*
II xvi, 219 6 *cursibus errauerunt*
III i. 232 3 *defuerunt nomque*
III i, 232 7 *amiserunt aquae*
III xxiv, 250 18 *interioribus cognouerunt*, etc.

Videamus nunc ut formae *arit arat, auerit auerat, iuit iit*, etc., pro necessitate numerorum eligantur.

I xxvii, 192 4 *memorarit hanc urbem*
II viii, 207 4 *aditum iam pararit*
IV xvii, 267 19 *durior abnegarit*
IV xvii, 267 16 *impetras quod optaris*
III xxiii, 249 10 *necessitas abnegarit*
V xxv, 295 2 *probaris admittere*
V xxiv, 293 5 *migrarat ad tempus*
IV xv, 265 16 *turgidam congregarat*
V xviii, 290 5 *uiolentiam perpetrarunt*
V iii, 276 1 *flagitii perpetrarat*
III xv. 245 1 *glacies amputarat*
III xxiii, 249 16 *detrimenta generarunt*
V xi, 284 7 *facinoris quam patrasti*
I ii, 179 5 *operatione firmasti*
I ii, 179 17 *arca munierat*
II i, 197 10 *origo tunc periit*

III xiii, 214 13 *numerauerit unitatem*
IV xiv, 264 19 *cessauerit instituti*
V viii, 268 20 *signauerat adfuturum*
V xxxii, 298 18 *signauerat adprobaret*
V xi, 284 4 *germinis damnauerunt*
II xvi, 219 6 *cursibus errauerunt*
III vi, 236 16 *famulante uallauerat*
III xi, 241 8 *iubilationis impleuerat*
I iv, 181 20 *sterilitate damnauerat*
III vi, 236 10 *elementa temptauerint*
II iv, 200 16 *originale foedauerat*
I ii. 180 1 *delicta necauerant*
II ii, 198 13 *acerba uorauerant*
V xxxii, 298 15 *saepe negauerat*
I ix, 183 20 *Christo transiuerat*
Ep. ad Mac. 171 12 *ante transiueram*
IV xiii, 264 2 *petiuit inferni*
II xvii, 225 15 *definiuit intellegi*
V iii, 275 15 *introiuit humanitas*
IV xix, 269 13 *miserans non puniuit*
I ix, 183 13 *turba transiuit*
V xi. 283 12 *obsecuta seruiuit*
V xv, 285 15 *honore uestiuit*
II xiv, 215 7 *Dominus esuriuit*
I v, 182 6 *denegat acquisiuit*
V xvii, 287 13 *fuerit, definiuit.*

Neque usquam hi loci emendatione carent, atque in tanta uarietate rerum, totque inter deprauationis sordes quas per decursum saeculorum uerba Sedulii traxerant, miror quod libri uerae scripturae semper hac in re auctoritatem fidemque habeant. Itemque in libris haec aptissime leguntur, quae ditrochaei mensuram exaequant : II, IX, 209 15 *gressus dirigit confidentum ;* II XXIII, 249 9 *panis est indigentum.*

Deinde Sedulius summo opere curauit ut apta numeris uocabula uel declinationem uocabulorum uel casus aucuparetur eos qui aptius ad numeros uenirent. Quapropter ut trochaicorum ei uerborum copia in promptu esset, alia uerba a sermone poetico mutatus est (I XIV, 186 1 *axe resplendens,* i. q. *curru,* cf. CARM. I 181 *curruque corusco;* I XX, 188 14 *corusci equitatus axe perduxit,* cf. CARM. I 231-2, *coruscis In caelum transuexit equis*), alia ex plurali numero in singularem corripuit, uel ex singulari protraxit in pluralem (II II, 198 7 *fauce sorberet,* i. q. *faucibus,* cf. CARM. II 19 *sorberet fauce nepotes;* V XVIII, 289 17 *flore perpetuo,* cf. CARM. 222 *flore perenni ;* I XX, 188 7 *muliebren effigiem in salis simulacra conuertit,* i. q. *simulacrum,* cf. CARM. I 225 *in simulacra salis ;* III VI, 237 1 *aequor et uenti,* i. q *aequora ;* V XXVII, 293 16 *ora sulcabant,* i. q. *os,* cf. uerba quae insequuntur, *pectus gemitibus commouebant,* etc.

Atque eadem causa Sedulium impulit, ut aduerbiis in *ter* exeuntibus intemperantius uteretur : III X, 240 7 *uehementer inseruit* ; IV VII, 259 14 *properanter ingressa* ; V III, 276 15 *uiolenter armatam* ; II XV, 218 16 *consequenter angelico* ; V XXXVI, 301 5 *competenter impleti* ; IV XVI, 266 9 *clementer ingressus est,* etc. Sedulio ex usu etiam fuerunt in trochaeis prioribus conformandis accusatiui illi qui graeci uocantur, qui ad poetici sermonis genus propius accedunt : V XI, 283 19 *flagris terga sulcatus,* cf. CARM. V 153 *sectus terga ;* V XII, 284 19 *chlamidis uelamen indutus est,* cf. CARM. V 166 *uestitus chlamidem* ; IV XXI, 271 3 *frigentes artus exanimis,* etc. In eundem usum quasi detorta uidemus gerundiuorum ablatiuos, quibus Sedulius uti nonnunquam praeter modum moremque sustinuit : EP. AD M. 171 14 *praetereundo lustraui,* i. q. *praeteriens* ; I IX, 183 19 *mysterium nesciendo cernebat,* i. q. *nesciens* ; I XXVII, 191 3 *increpando iam satis est,* 5 *miserando*

defleuimus; I XXIX, 194 15 *hic ambulando disputat, ille stando pronuntiat*; II XVII, 223 15 *lambendo consumat*; III XV, 245 4 *iubendo concessit*; XVI, 245 13 *saeuiendo congessit*; IV II, 257 9 *quae detrimentis augetur, spargendo seruatur*; IV XII, 263 14 *lacrimando qui nubilus*, i. q. *lacrimis*; V IX, 281 3 *festinando per maria... se praecipitauit in fluctus*; V XVI, 286 12 *quid impietatis exerceant... lacerando concordiam*, etc.

Iisdem etiam numeris utilitatem afferre maximam potuit tertiae declinationis ablatiuus singularis, quem Sedulius hanc ob causam ita frequentauit, ut nulla fere sit longior uerborum comprehensio, quae non modo clausulam huiusmodi saltem unam uerum etiam haud raro duas uel tres in se complectatur; his uerborum continuationibus contentus ero, sine ullo delectu sumptis : I XIV, 185 22 *dexteriora maioris spatii sic petiuit, ut triumphi caelestis axe resplendens, humani limitis metam longa fretus* uiuacitate *contemneret*; I XVII, 187 1 [*cum*]... *mortis exitium tyrannicae legis* atrocitate *susciperet, cuius rabies Achaemenii furoris* igne *succensa*,..... *pyra iuuenes non* audente *contingere, qui tantum* corde *feruentes, uicerunt imagineum* poena deficiente *supplicium*, etc.

Itaque nescio cur Ioannes Huemer censeat ablatiui Sedulianum usum fuisse rariorem, nisi forsitan potius CARMINIS quam prosae uocabulis animum intenderit. Ablatiuus igitur casus, ut apud bonos auctores, sic apud Sedulium, isque pro iisdem fere usibus usurpatur; nec mirum, nam et erant Sedulio seligenda ex uocabulis ea quae flexionibus ad numeros caderent, et illis numeris nemo non uidet aptissimum fuisse tertiae declinationis ablatiuum. Quapropter Sedulius ablatiuos libentius adsciuit, quos et more ueterum scriptorum et sui temporis disciplina egregie ad clausulas adcommodatos esse nouerat. Sunt enim ablatiui Sedulìani plurimi a uerbis passiuis pendentes, uel ab iis uerbis quae digressionem significant ; sunt et ablatiui comparatiuis nominibus adiuncti, sunt qui causam efficientem aut mouentem, modum, comitatum, qualitatem, tempus, pretium, copiam, inopiam significent, quorum exempla nunc afferre otiosum duco. Inmoderatum tamen intemperantemque fuisse

Sedulium in adhibendis modi uel causae[1] ablatiuis, haec fortasse exempla documento erunt, quae cum notitiam modi uel causae tam obscuram tamque remotam contineant ut ea uix percipi possit adeoque nonnunquam penitus euanescat, nonnihil tamen excusationis habent quod ui et pondere numerorum inducantur : I xvii, 187 1 *mortis exitium tyrannicae legis* atrocitate *susciperet* ; I xxix, 193 10 *carnali* lege *nascentes*, 194 13 *longa* disputatione *certare* ; EP. AD. MAC. 171 13 *longa maris* circuitione *discurrens* ; II xvii, 221 14 [*aliquid*] *caritatis* expulsione *contemnere* ; II vii, 204 17 *maligna quicquam* improbitate *sustineant* ; II xvii, 227 19 *fideli* mente *soluamus*[2] ; III ii, 233 5 *nec donum* dilatione *suspendit* ; III viii, 239 5 *mutua* redhibitione *mercedis* | *uectorem proprium... reuexit* ; III xxiii, 249 4 *in locis arida* siccitate *ieiunis*, etc.; I xxviii, 192 23 (uirtute *conspicua*, 193 1 maiestate *fit triplex* ; II xvi, 219 10 *superba nimis* humilitate *conspicuos* ; V xxvii, 296 1 *uultu flammeus*, uestimentis *albatus* ; II vii, 237 15 *pecus inmunda sordium* obscoenitate *laetissimum* ; etc.

Intemperanter, utitur Sedulius eo ablatiuo quem absolutum uocant grammatici ; cuius exitus cum trochaei mensuram exaequet, ad numerorum fructum redundat : I xvii, 187 4 *pyra iuuenes non* audente *contemnere*,... *uicerunt imagineum poena* deficiente *supplicium* ; III viii, 238 5 *Dominus nauigio* famulante *subuectus* ; III ix, 239 7 *Haec igitur Domino* faciente *miracula* ; IV v, 258 10 [*ficulnea*] *comarum posita* dignitate *peraruit*, etc. In eadem causa sunt ablatiui eiusmodi qui adiectiuorum partes agant : qui cum iam a priscis temporibus apud diligentissimos politissimosque scriptores haud ita raro inueniantur, postea per decursum temporum percrebuerunt pro eo ut latinitas inclinari coepta est, atque ii quidem cum ceteris de causis tum etiam

---

[1] DRAEGER (*Hist. Synt.* I, 545) comprobauit ablatium ut aiunt causae externae iam a primo p. Chr. n. saeculo paullo audacius usurpatum esse.

[2] In his duobus exemplis ratio causae fere accedit ad significationem aduerbii ; quam deprauationem K. SITTL apud Christianos plerumque ex hebraicae linguae consuetudine defluxisse arbitratus est (*Die lok. Verschiedenheiten*, etc. p. 107). Cf. GOELZER, *La Lat. de S. Jér.*, p. 325.

ui et pondere numerorum [1] : II x, 210 16 *genas unguium proteruitate sulcabat*, i. q. *unguibus proteruis ;* II xvii, 224 13 *per annos in eremi sterilitate quam plurimos*, i. q. *in eremo sterili ;* II xvii, 230 18 *largi floris amoenitate gratissima*, i. q. *floribus amoenis ;* III xix, 247 16 *undae rapacitate submersus*, i. q. *unda rapaci*, etc.

Neque ad eos inducendos priores trochaeos, quos numeri saepissime flagitabant, nullam uim habuerunt genetiui Seduliani qui, ut id temporis consuetudo patiebatur, qualitatem significarent [2], siue pro adiectiuis fere haberentur, siue pro substantiuis casum rectum tenentibus, quam sermonis figuram rhetores uocant enallagen : II ii, 198 6 *postremi germinis nationes*, i. q. *postremas ;* III xiv, 244 6 *cantico dauiticae iucunditatis impleto*, i. q. *cantico Dauidis iucundo;* III xi, 241 7 *uocibus amarae iubilationis impleuerat*, i. q. *uocibus amare iubilantibus ;* IV xii, 263 7 *feretro manu redemptionis attacto*, i. q. *manu redemptrice* [3]; IV viii, 263 21 *squamei serpens maculosus horroris* [4], i. q. (hypallage permixtum) *serpens squamis maculosis horridus;* IV xvii, 268 4 *auxilio iutus inportunitatis extorsit*, i. q. *importuno auxilio;* V xvii, 288 2 *suauitatis unguento*, i. q. *suaui unguento ;* II viii, 206 4 *ducatum parui sideris intuentes*, i. q. *paruum sidus ducem ;* II xiv, 217 8 *temeritatis ingenium*, i. q. *temerarium ingenium.* Quo accedunt ii genetiui qui auctorem uel originem indicant : IV vi, 259 5 *furoris incommodum*, i. q, *incommodum ex furore oriundum* etc.

Posteriorem uero ditrochaeum multum iuuare potuerunt uocabula abstracta in *ĭtas* exeuntia prope innumera, ut *dignitatem, largitatem, quantitatem, castitatem, sospitatem ; foeditate, largitate, puritate, siccitatis, paucitatis* : quibus

---

[1] Cf. L. Bayard, *Le latin de Saint-Cyprien*, p. 305.

[2] « Un génitif qui a pris une extension considérable, c'est le génitif de qualité ». — Max Bonnet, *Le latin de Grégoire de Tours*, p. 548. Cf. Goelzer, *La latinité de S. Jérôme*, p. 318.

[3] Hac uoce usi sunt Prvdentivs, *Peri.* 2963 ; Corippvs, *Laud. Iust.*, IV 297, alii.

[4] « Une foule d'emplois du génitif (de qualité) dans S. Jérôme tiennent à une particularité de la langue hébraïque... qui a passé dans le latin ecclésiastique. » Goelzer, *ib.*, p. 323 ; Hier. *Epist.* 3, 4 *horroris carcerem.*

uocabulis cum saepissime utatur Sedulius in clausula, suspicor e multis rationibus unam, quare id temporis solutae orationis scriptores incorporalia huiusmodi nomina aucupati sint.

Sed longius labor, quanquam hoc in genere mihi dicendum est quanto opere Sedulius in eligendis uocabulis numeros respexerit, tum praesertim cum e synonymis pluribus unum adscisceret quod numeris aptius esse censeret : quorum nulla tam uariis rationibus modisque trita, nulla tam concinne ad numeros adcommodata reperimus, quam ea quae in oratione Seduliana illud *nauem* significant : I xvi, 186 16 [*Ionas*] *uenit ad terram uomitu, non carina ; ... nauta feritatem praebuit, fera nauigium ministrauit* (cf. Carm., I 196 *inimico remige*) ; III vi, 235 9 *cum ... ueheretur a litore iam carina ;* 235 18, *quiescebat in puppi* ; III vii, 237 5 *relicto nauigio* (Carm. III 70-1 *puppim Liquerat*) ; III xix, 247 4 *discipuli... petiuere nauigium... flabris adversantibus in carinam* (Carm. III 224 *iactabant aequora puppim*) ; III xx, 248 1 *terram relicta naui calcabat* (puto legendum *naue*[1]) ; IV xi, 262 4 *paruaque Simonis residens in carina* ; ... 13 *periculis erepta sit uix carina* ; (cf. Carm. IV 121-122 *turbaret geminas cumulato pisce carinas | Nam socia istic puppis erat...*)[2], etc.

Neque integros a necessitate clausularum censeo ditrochaeos huiusmodi, quos in Opere Paschali celebratos ac quasi tritos uidemus, quales sunt *canticorum*, *arbitrari*, *nuncupari*, *sauciatum* ; namque, ut cetera omittam, illud *sauciatum* saepissime a Sedulio in exitibus collocatur, idemque a recto sensu plerumque detortum ; haec exempla perpendas uelim : III v, 235 3 *usum corporis sauciati*, i. q. *aegri* ; IV viii, 259 15 *delictorum uulneribus sauciata ;* III xii, 242 5 *uiros amissis*

---

[1] Cf. H. Bornecque, *Musée Belge*, VII (1903), p. 7.

[2] Idem dicendum de Sedulianis uocabulis quibus significatur illud *aqua* : IV xviii, 268 11 *aquae tribuere* ; 13 *fluenta largiri* ; I i, 178 16 *latices introite ;* I ix, 183 13 *pontus ut murus*, 15 *absente per pelagus* ; xi, 184 17 *redundauit in laticem ;* xvi, 186 12 *non sensit aquas in pelago constitutus* ; etc. Idem de uocabulis *iter* significantibus : V vii, 278 7 *iter arrisit* ; IV vi, 259 11 *uocis itinera* ; I ii, 180 3-5, *placidus uiam,... demonstra nunc semitam,... angusto calle uestigia*, etc.

luminibus sauciatos, i. q. *caecos*; III xv, 244 19 *membris seminecem sauciatis*, i. q. *inertibus*; V, vii, 278 10 *quantis animi gemitibus sauciatus*, i. q. *permotus*, etc. Neque desunt Seduliana uocabula quae ui numerorum uel a sincero sensu detrahantur, uel fere noua in latinum sermonem prodeant. Haec accipe : V xxx, 298 5 *eorum se mentibus et oculis publicauit*, i. q. *ostendit*; V xxiv, 293 14 *edimus ac potamus*, i. q. *bibimus*[1]; III ix, 239 8 *filia uitalibus terminis occupata*, i. q. *uitales terminos occupans*; III xvi, 245 10 *artium noxius instaurator* (Carm. III 189 *artes instaurans*); II xiv, 215 21 *peteret epulatum*, i. q. *dapes*, uel *epulas*; V xii, 285 1 *pro molatione saepissima*, i. q. *mobile semper* (cf. Carm. V 170); V x, 281 18 *psalmi continentiam prologuentis* (gallice *teneur*, germanice *Wortlaut*[2]); atque animaduersione dignus est usus illius *nihilominus*, quod a sincera significatione discedens non semel sumitur pro *etiam*, *item* : II xvii, 230 7 *lumen a tenebris, pax a bellis, uita nihilóminus a sepúlchris*; III xxiv, 250 17 *quid quod et Heliam nihilóminus ac Moysen*; V xii, 284 17 *in ipso nihilóminus cúltu*, etc. Denique illud notandum IV v, 258 20 *plena fronde non germine*, i. q. *pomis* uel *fructu*, cf. Carm., IV 47-49.

Sed ipsa traiectione uerborum magis apparebit quanta fuerit in Seduliano scribendi genere uis numerorum; traiectionem enim dico eam, quae a communi usu deflectit, quanquam saepe fieri hoc potuit ut scriptores uerba traiecerint, cum ceteris de causis, tum etiam quod clausulis morigerari studuerint[3]. Quamobrem uero in his Sedulii locis traiectio fiat, causam non uideo, nisi repetenda sit a pondere numerorum :

IV xii, 263 13 *mox igitur omnis erat lacrimando* QVI *nubilus, facie redditur serenata conuentus*; V viii, 279 2 *quod*

---

[1] *Potare* significat *praebere potum* (graece ποτίζειν). Cf. Goelzer, *La lat. de S. Jér.*, p. 304; Roensch, *Itala und Vulgata*, p. 376.

[2] Huemer, *Sedulii opera*, p. 381.

[3] J. Wolff, *De claus. Cicer.*, cap. VI, pp. 656-sqq.; L. Bayard, *Le latin de S. Cyprien*, pp. 298, 305; N. Valois, *Bibl. de l'Ec. des Ch.*, XLII (1881), pp. 265-6.

ex eius *esset etiam ipse discipulis ;* 8 *apostolicis igitur eruditi* debemus *exemplis* | *uim... dignoscere* (i. q. *exemplis debemus*) ; V xvii, 287 10 *tam saeculari causae quam rationi* conveniens est *diuinae* ; II xii, 214 7 *plus enim erat* complacui dixisse *quam placui* ; i. q. *dixisse complacui quam placui* ; II xvii, 223 16 *ut animam in nobis pariter tueatur et* carnem ; V ii, 274 20 *Dominus* sese *famulis pedes abluens inclinauit* ; III vii, 237 11 *inter busta magis habitabat et* cineres ; III x, 240 5 *et facultatibus pariter uacuata perdebatur et* sanguine ; V xxviii, 297 1 *circa* cuius *residet angelica uirtus* exuuias ; III xvii, 246 3 *post octo iuges annos et* decem ; II xiv, 215 21 *de* quorum *et Moyses in libris suis incredulitate non tacuit* ; V x, 281 11 *ad* Pilati *Dominum conspiciens deduci praetorium* ; II xvii, 225 2 *has etenim parcius edere, illas* nunquam *praecipimur recusare*, i. q. *praecipimur nunquam* ; III xiv, 244 6 *ut dispensator* potius quam *uideatur esse mercator* ; II i, 197 3 *mortem gustare fecerat* mox *amaram* : V v, 277 8 *iubet nudi mucronis* ergo tunc *aciem* ; III i, 232 6 *conuertit Christus* ergo tunc *latices* ; V xiii, 285 4 *quod se* post paululum, i. q. *paululum post* ; I xi, 184 18 *his tribus ergo* iam *rebus* ; V iii, 275 13 *famem sitimque sentire nequeant animae* iam *fideles* ; III vi, 235 9 *ueheretur a litore* iam *carina* ; V viii, 280 13 *nullo ualeant euelli penitus* iam *labore* ; V xxii, 292 9 *patet inferni retro* iam *semita* ; I xxvii, 190 18 *ne sanctae religionis* in *pagina* ; II i, 198 2 *longamque temporum* per *aetatem* ; II xvii, 230 18 *suauissima Christi* per *pascua* ; I xxix, 193 21 *quid est* ergo *principium* ; II xvii, 227 7 *in aliorum* namque *personis* ; III xxvii, 253 14 *ceruicem diabolicae* uero *superbiae* ; I xx, 188 4 *pertinax* o *natura* ; II vii, 205 8 *qui* mundi *natus est ad salutem* ; III ix, 240 1 *ad* puellae *gradiebatur funera suscitandae* ; V vi, 277 17 *qui princeps illa tempestate fuerat* sacerdotum ; V xxxiv, 300 8 *ante* Domini *gaudentes proiecere uestigia* ; IV ii, 256 9 tenuem *angusti callis introire per portam* ; IV xi, 262 4 paruaque *Simonis residens in carina* ; V iii, 276 1 *neque enim totius mundi bona sufficerent Christi* fuso *comparari cum sanguine* ; V xviii, 289 14 *latronis animos* iam beati ; III vii, 238 1 *gregem peruasit impulit ac necauit* | *in* marina *praecipitem fluenta* porcinum ; II xvii, 220 10 secretioribus *habitans latenter in locis*, etc.

Nec satis habuit Sedulius uerba traicere; sed ea, quo aptiora essent ad claudendum, plerumque inaniter augere conatus est. Etenim pluralem numerum pro singulari adeptus est, quotiens additamenta eiusmodi ferebat necessitas : III VI, 237 1 *iussionibus inclinati* (CARM. III 68 *obsequio*); I XXIV, 190 2 *matutinae lucis uultibus effugatur* (i. q. *uultu*); II I, 198 1 *inreparabilis horae supremis cursibus occupata* (i. q. *cursu*); II XVI, 219 6 *uagis cursibus errauerunt* (i. q. *uano cursu*); II IX, 209 9 *euidentissimis aspectibus iam credamus* (i. q. *euidenti aspectui*); IV XVI, 266 17 *sese mutuis uisibus intuentes* (i. q. *uisu*; CARM. IV 200 *sese pariter speculentur*); IV VI, 259 11 *per aperta uocis itinera* (i. q. *apertum u. iter*); IV XX, 270 10 *sanis ex uultibus* (i. q. *sano ex uultu*); III XVII, 246 1 [*mulier*] *uultibus inclinata* (i. q. *uultu*, cf. CARM. III 200 *caducis uultibus*); V XVII, 287 11 *idolorum cultibus occupata* (i. q. *cultu*); I II, 181 5 *cordi permittimus imbecilli ut enitar* (i. q. *permitto*), etc. Item teneo Sedulium necessitate numerorum esse adductum ut haec accerseret quae sunt : II XVII, 221 6 *aliquanti sint famuli*, i. q. *aliqui*; IV VII, 259 13 *Pharisaei cuiuspiam postulantis*, i. q. *cuiusdam*; II IX, 209 12 *iam minime reuertamur*, i. q. *iam ne r.* Quin etiam *luminibus* pro *oculis* scripsit, V XXX, 298 6 *luminibus innotescit*, neque aduertit pronomen insequens, quod est *quos*, esse contra legem grammaticam, neque emendandum curauit : *illis luminibus innotescit*, QVOS *fides interior..... gratiae claritate perducit* (CARM. V 867 *oculis fidei* QVOS). Placuerunt etiam Sedulio uocabula ea quae cum essent deminutiue uel frequentatiue sumpta iis increscerent spatiis quae numeri expostulabant; scripsit igitur *pisciculos* i. q. *pisces* (III XXIII, 249 11 *modicisque pisciculis*); *nauicula*, i. q. *nauis* (IV XI, 262 7 *altius eunte nauicula*, cf. III XX, 248 2 *naui*, uel potius *naue calcabat*); II XII, 212 21 *propheta cantitans haec designat*, i. q. *cantans* (Cf. CARM. II 164, *namque propheta canens*). Quapropter puto Sedulium scripsisse V VIII, 279 3 *gallus diei nuntius cantitauit*, ut testatur solus B, non *cantauit* quod ceteri ferunt codices (cf. p. 111). Videmus etiam adiectiua quaedam superlatiuis formis inaniter induta [1], ne numeri claudicent, qualia sunt :

---

[1] Neque tamen nos fugit progrediente tempore gradus comparationis a

I xxvii, 191 1 *lilia nimio decore mollissima*, i. q. *mollia*, cf. Carm. I 277; II x, 210 4 *pecusque mollissimum*, i. q. *molle*, cf. Carm. II 113; II xvii, 224 11 *paucis uiris atque rarissimis*, i. q. *raris*; III vi, 236 12 *fretum Dominica nauigatione laetissimum*, cf. Carm. III 67 *laetum mare*; III vii, 237 16 *obscenitate laetissimum*, cf. Carm. III 81 *gaudens*; III xvi, 245 10 *liuido ueneno fellis uberrimus*, cf. Carm. III 190 *nigri qui felle ueneni liuidus*; III xxvi, 252 9 *piscisque uilissimus*, cf. Carm. III 319 *uilis honor piscis*; IV xx, 270 14 *fetibus Euae creati miserrimae*, cf. Carm. IV 265 *miserae de fetibus Euae*; V xxi, 291 10 *unus de plebe nequissima*, cf. Carm. V 244 *unus de plebe nefanda*; V iii, 276 20 *oscula porrigit agno truculenta mitissimo*, cf. Carm. V 68 *aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno*, etc. Neque desunt comparatiua pro positiuis adhibita, quotiens numeri postulabant : IV xvii, 267 18 *res durior abnegarit*, cf. Carm. IV 216 *dura*; I xxv, 190 5 *ignis ardentior latices debiliores exsiccet*, cf. Carm. I 263 *aut rogus exiguas desiccet fortior undas*, etc. : quanquam hoc in genere peccat ipsum Carmen si numeri flagitent, ut in illo *fortior* appareat; haec alia exempla inspice: Carm. III 17 *ut sanior esset*, IV 196 *clementior infit*, etc.

Mirum est in Seduliano sermone quam saepe inanibus praepositionibus crescant uocabula; nec tamen omnes eiusmodi praepositiones semper numerorum pondere adscitas esse contendam, quae ab innumeris scriptoribus omni tempore usurpatae sunt nulla clausularum habita ratione [1]. Sed eiusmodi additamenta inaniter saepe conlocata esse in Sedulianis clausulis teneo, his exemplis nixus : IV xii, 263 7 *feretroque manu redemptionis attacto*, i. q. *tacto*, cf. Carm. IV 133 *tactoque feretro*; IV xix, 269 16 *lucra deperdens*, i. q. *perdens*, cf. Carm. IV 250 *compendia perdens*; V xvii, 286 17 *titulus... significatione conscriptus*, i. q. *scriptus*, cf. Carm. V 196 *scribitur et titulus*; V xix, 290 18 *non diutius in hac remotione permansit*, i. q. *mansit*, cf. Carm. V 241 *nec mansura diu*; V xxiii, 292 18 *quae diu tecta permansit...*, *Christo nobis*

---

scriptoribus uehementer confusos esse ceteris de causis; hoc autem unum moneo uim numerorum hac in re minime esse spernendam.

[1] Cf. Max Bonnet, *Le latin de Grégoire de Tours*, p. 229.

aduueniente praeclaruit, i. q. *mansit, claruit*, cf. Carm. V 275 *recta diu, Christo nobis ueniente patescit;* II xii, 212 9 *ut ipse deperderet*, i. q. *perderet*, cf. Carm. V 151 *ut ipse nocentia perdat;* IV iii, 257 17 *uigili repente tactu perexcitat*, i. q. *excitat*, siue *euigilat*, cf. Carm. IV 37 *euigilare iubet;* V x, 282 13 *faucibus nodatis astringens*, i. q. *stringens*, siue *angens*, cf. Carm. V. 130 *nodatis faucibus angens*; V xviii, 290 8 *caelorum regna diripuit*, i. q. *rapuit*, cf. Carm. V 231 *abstulit... caelorum regna rapinis*; V xxvii, 296 4 *ignea facie comminatus*, i. q. *minatus*, cf. Carm. V 330-1 *minacem uenerat in formam*; IV xvii, 267 12 *nec populis uetantibus conticescens*, i. q. *tacens*, cf. Carm. IV 213 *nec populo prohibente tacens*; I xix, 188 2 *ira blandior conquiescens*, i. q. *quiescens*, cf. Carm. II 218 *ira quieuit*; V vii, 278 13 *plebs execrabilis conquieuit*, i. q. *quieuit*, cf. Carm. V 98 *plebs exsecranda quieuit*; IV v, 258 20 *lignis aequabitur concremandis*, i. q. *cremandis*, cf. Carm. IV 53 *lignis aequabitur ustis*; II xvii, 229 11 *a Domino, qui purae uirtutis amator est, derelicti*, i. q. *relicti*, cf. Carm. II 283 *Deus hunc uirtutis amator linquit*; V xxxi, 298 11 *quatenus euidentius edoceret*, i. q. *doceret*, cf. Carm. V 372 *quo rite doceret*. Atque haec quidem comprobasse mihi uideor Carminis innixus adminiculo; ubi uero desunt conuenientes Carminis loci, sustineo pro inanibus habere ea quae sunt : Ep. ad M. 173 1 *nullis explicari linguis eualeant*, i. q. *ualeant*; V xii, 284 16 *exsecutioni contraditus*, i. q. *traditus*; Ep. ad Mac. 175 10 *quicquid terrae fecunditas subministrat*, i. q. *ministrat*; V xviii, 289 13 *quatenus euidentius edoceret*; III xxiv, 250 7 *ratio manifestior edocebit*, i. q. *docebit* (cf. veteres editiones); II vi, 201 11 *pastores gregem nocturnis uigiliis reseruantes*, i. q. *servantes* (cf. uet. ed.). His igitur fultus exemplis, scribendum esse teneo III x, 240 3 *turbis inmixta*, i. q. *mixta*; V xiv, 285 8 *felle permixtum*, i. q. *mixtum* (cf. pp. 110, 112).

Denique in uerbis crescere potuit syllabarum numerus mala consecutione temporum, ut in his quae sunt : IV xxi, 271 4 *qua parte moriturus fuerat, haec dolebat*, i. q. *erat*, cf. Carm. IV 278 *qua moriturus erat;* V vi, 277 17 *qui princeps illa quidem tempestate fuerat sacerdotum*, i. q. *erat*, quanquam ui numerorum hac in re ipsum Carmen itidem

peccare uideo V 84 *ille sacerdotum fuerat*; III xxiv, 250 10 *in tantum... solem superabat et niues, ut... cum nequirent Apostoli cernere, pronis in terram uultibus concidissent*, i. q. *conciderent* (atque haud scio an editores ueteres illud *concidissent* ideo repudiauerint, quod malam temporum consecutionem efficiat, qui correcturam eam probauerunt quae est *conciderunt*); IV vii, 260 5 *nutrit sua namque uulnera qui celarit*[1], i. q. *celat*. cf. CARM. IV 77-8 *sua uulnera nutrit qui tegit*; I vi, 182 15-18 *nec dignus est arator... gaudere... qui laboris ordinem dissiparit*, i. q. *dissipat* (deest in CARMINE locus conueniens); IV ii, 256 18 *ostendit malum non esse quod eius est, si operarius illud bonus habuerit*, i. q. *habeat* aut *habet*; IV xvii, 276 16 *quam uiolenter impetras quod optaris* (ueteres editores scribere maluerunt *quae optatis*, in quo exemplo cum bona sit consecutio temporum, pessimus est pluralis numerus). Mox scripsit Sedulius 267 19 *quicquid res durior abnegarit, sola... oratio frequens obtinet supplicantis*, i. q. *abnegat*[2]; V xviii, 289 12 *paradisum se dicit intrare..., quatenus euidentius edoceret*, i. q. *edoceat*; V viii, 279 6 *peccata fugiunt, delicta discedunt, et lacrimarum imbres ueniam fletibus amarissimis contulerunt*, i. q. *conferunt* (CARM. V 111-112 *culpa fugit, cedunt lacrimis delicta profusis, | et dulcem ueniam fletus generastis amari*; sed hoc uocatiuo ratio sententiae mutari uidetur); V xvii, 287 14 *aduersus Caesarem praedicare,... et morte sacrilegus extitisse*, i. q. *extare*; II vi, 202 8 *pax illa descendit, quae... capaces inuenerit*, i. q. *inuenit*; V ii, 274 20 *tantumque suae deposuit fastigium potestatis, ut... nec Iudam fecisset exsortem*, i. q. *faceret* (cf. CARM. V 24-26 *tantum inclinauit honorem, ut nec Iudam exciperet*): III vi, 236 4 *uentis imperat ut quiescerent, mari praecipit ut taceret*, i. q. *quiescant, taceat*: exemplum illud est ideo animaduersione dignum, quod in media com-

---

[1] « Le subjonctif s'introduit dans des phrases où il paraît destiné à généraliser, comme ferait en grec le subjonctif avec ἄν après le relatif. » M. BONNET, *Le lat. de Gr. de T.*, p. 683.

[2] Eadem necessitate numerorum Sedulius scripsit in CARMINE IV 217 *negarit*. Cf. eiusdem CARMINIS hunc locum II 121 *puerilia* MACTAT | *milia plangoremque* DEDIT, etc.

prehensione Sedulius rationem temporis mutauit ut infractis numeris imperfectam efficeret clausulam; nam illud *uentis imperat ut quiescant* incommode numeros explere censebat, mox autem in ambitu extremo item consecutionem perturbauit ut exitus ad numeros recideret, nam uerum tempus a numeris abhorrebat *praecipit ut taceat.*

Quid uero si dicam Sedulianum sermonem inanibus saepe uocabulis, et illis quas rhetores dicunt periphrasibus, numeros obtinuisse ? Vides enim quam uana sint adiectiua in his quae sunt : III XI, 241 5 *uentum erat interea miserandae domus ad tecta lugentia* ; II I, 197 1 *de paradisi sede florigera* ; IV III, 257 19 *noctem reppulit caligantem* ; IV I, 255 8 *Esaias namque propheta magnificus* ; V VIII, 279 20 *David propheta mirabilis* ; I XVIII, 187 10 *consortia pecudum secutus agrestia* ; IV XXI, 271 10 *imperiosae uocis iussu mirabili* ; IV XI, 262 7 *retia dimitti piscantia* ; PRAEF. 175 6 *ubertate rerum caperis opimarum* ; I I, 178 18 *nimia frugis ubertate multiplicis* ; II V, 201 7 *beati uentris honore conspicuo* : II XII, 211 15 [*tempora*] *uolucri cursu fugacia*, etc. In illis exemplis pes redundat posterior, in his prior : I XXX, 194 21 *arcis summae fastigium*; III XXVI, 252 8 *hami decipientis insidias*; III XXVII, 253 7 *anni infantiles exiguae paruitatis*. Neque minus iuuantur numeri illa adiectiuorum ingeminatione quam cum postremis temporibus scriptores adamauerint, Sedulius noster extra modum frequentauit : haec exempla PASCHALIS OPERIS accipe, cum respondentibus CARMINIS locis conlata : II XIV, 216 20 *regni fragilis et caduci*, cf. CARM. II 193 *fragilis regni* ; I II, 179 18 *mersum penitus ac sepultum*, cf. CARM. I 74 *mole sepultum* ; I XII, 184 21 *asella uile pecus et stolidum*, cf. CARM. I 162 *animal pecuale* ; I XXIX, 193 6 *tam sensu uacuus et inanis*, cf. CARM. I 303 *tam uacuus sensu* ; III XXV, 251 20 *praedo furibundus et turbidus*, cf. CARM. III 307 *tunc praedo furens* ; III XXVII, 253 5 *aeui scilicet pusilli uel teneri*, cf. CARM. III 327 *teneri sectemur ut aeui* ; III XXVII, 254 1 *parua nimis exiguaque referimus*, cf. CARM. III 337 *parua loquor* ; IV II, 257 6 *pauper est et egenus*, cf. CARM. IV 26 *constat egenus* ; IV XII, 263 1 *talibus insignis clarusque uirtutibus*, cf. CARM. IV 125 *talibus insignis uirtutibus* ; IV XIX, 269 12 *clemens Domini mitisque sententia*, cf.

Carm. IV 246 *clemens sententia* ; V xxi, 291 15 *gens ista feralis et impia*, cf. Carm. V 260 *gens* ; V xxiii, 292 20 *mors tristis et impia*, cf. Carm. V 276-7 *tristis... mors* ; V xxiv, 293 9 *altum uulnus aperiens ac defossum*, cf. Carm. V 287 *perfossum uiolat latus* ; V xxiv, 293 19 *angustos et tenues... faciat idoneos et capaces*, cf. Carm. V 294 *et faciat tenues tanto mansore capaces* : V xxviii, 296 13 *dic nefande custos et improbe*, cf. Carm. V 339 *fare improbe custos* ; V xxix, 298 1 *pia genetrix et benigna*, cf. Carm. V 362 *bona mater*[1], etc.

Atque ipsa uerba nonnunquam propter numeros ingeminantur : II xii, 212 6 *proclamare coepit et dicere*, cf. Carm. II 148 *mox praedicat;* IV xviii, 268 14 *ignorans prorsus ac nesciens*, cf. Carm. IV 228 *agnoscens ;* V iv, 277 4 *auriculam protinus restituit ac sanauit*, cf. Carm. V 72 *reddidit auriculam;* V x, 281 13 *deriguit miser et horruit*, cf. Carm. V 118 *deriguit*; V xxxviii, 303 3 *uenerantur supplices et adorant*, cf. Carm. V 431 *ueneranter adorant*; 5 *reuoluunt cordibus ac reportant*, cf. Carm. V 432 *sub corde reportant.* Efficit etiam in coniugatione uis numerorum ut exitus saepe circuitionibus redundent : II i, 197 6 *fuerat dicioni succumbens*, i. q. *ditioni subiacuerat*, cf. Carm. II 4-5 *senserat... sub lege iacens* ; IV xxii, 272 5 *Domino fuit honos ille sufficiens*, i. q. *suffecit*, cf. Carm. IV 298 *rectori suffecit honos* ; I xx, 188 16 *portum dedit esse naufragio*, i. q. *praebuit*, cf. Carm. I 234 *naufragio fundauit opem*, etc. Alio modo potest esse in coniugatione anfractus, cum id pluribus uocabulis dicitur, quod unico uerbo poterat expleri : I xxii, 189 8 *nonnulli solem genitorem illa uolunt opinione censeri*, i. q. *affirmant*, cf. Carm. I 249 *affirmant rerum esse patrem* ; IV xxi, 271 7 *Christum dubia*

[1] Huiusmodi pleonasmum comprobauit M. Bonnet esse nonnunquam apud Greg. Tur., cuius omnia fere hoc in genere allata exempla (aut ego fallor) desumpta uidentur ex clausulis. Neque hoc in eam sententiam dico, ut credam Gregorium numeris morigeratum esse, sed ipse quamuis numerorum inscius rationes claudendi quasdam nullo consilio sustinuit adhibere, quas ex ueteribus scriptoribus, quos sedulo legerat, mutuatus est. — Cf. Cic. *Mur.* 58 *grauis est accusator et uehemens* ; atque de aliis quibusdam Tullianis pleonasmis, lege J. Vahlen, *Varia* in *Herm.* XXXIII (1899) fasc. II (*Ad Att.* 1 181 *una communicem* ; *Sest.* 109 *una consentiunt*) ; J. Wolff, *De claus. Cicer.*, pp. 633-45.

trepidatione cunctamini, an possit... i. q. *dubitatis an Christus possit*, cf. CARM. IV 280-1 *Christum dubitatis an unum | possit*...; V xv, 285 18 *ut nullus animo peregrinetur ignaro*, i. q. *ne quis ignoret*, cf. CARM. V 188 *neue quis ignoret;* II I, 197 3 *mortem gustare fecerat mox amaram*, cf. CARM. II 3 *letum misero potarat amarum*; II v, 201 6 *nec initium nouerit habere nec finem*, cf. CARM. II, 65 [*cuius*] *imperium sine fine manet*; PRÆF. 176 5 *cernimur ministrare*, cf. CARM. PRÆF. 16 *ministrat;* II XVII, 226 18 *noscitur declinare*, i. q. *declinat;* II VIII, 207 5 (cf. IV I, 255 8) *noscitur elocutus*, i. q. *elocutus est*[1], etc.

III

Sed et aliud eminet sermonis rhetorici uitium quod mihi uidetur ex clausulis saepe pendere. Iam enim comperimus necessitate numerorum inania quaedam uocabula saepe in clausulis adsciscì. Quod uero de quibusdam singillatim informauimus, hoc est nobis in uniuersum et quasi de toto Seduliano scribendi genere ostendendum. Namque PASCHALE OPVS minus pressum esse quam CARMEN fatetur ipse Sedulius, quippe qui *uela madentia rursus fatigationi committat, ingentes Cycladas quas praecipitanti formidine celerius ante transiuerat, nunc longa maris circuitione discurrens* (171 10 sq.). At cum (171 7) liberiore stilo OPVS scripserit, potuit uel augere quod imperfectum fuerat, uel *integrare non plena* (172 17), uel quod prius deficiebat diligentius intexere. Plerumque igitur uerba non res auxit, ut libelli, nec impares *argumento nec ordine*, sed *stilo* uiderentur et *oratione dissimiles* (173 3). Quapropter cuilibet litterato homini PASCHALE OPVS cum CARMINE contendenti statim apparebit circuitionibus plurimis usum esse Sedulium, cum ceteris de causis, tum etiam ut rem in

[1] DRAEGER (*Hist. Syntax* I 452-4), eiusdem usus profert exempla tria quae in clausulis uersantur : AUG. *Civ. Dei* I 8, *habere cernuntur*; AMM. 14, 13 *habere noscuntur*; LACT. *Ed. Licin. habuisse noscuntur*.

clausulas quam plurimas extendere posset. In qua opera perficienda non secus ac nostri poetae solent, laborauit : nam, ut illi prius uersuum clausulas inquirunt, deinde id quod superest, adiectiuis uel aliis ornamentis augere et complere conantur : sic Sedulius postquam uocabula suis numeris aptissima selegit, relicuam incisi partem conficit ut potest, ita tamen ut calliditate quadam uideatur abditum, quicquid fuerat necessitate superuacuum. Exemplum rei proponere continuum uolo, ut artem scriptoris, qualis ipsa mihi quidem ante oculos obuersatur, primum enucleare coner :

Carm. I, 16 sq.	Operis Pasch. 176 6 sq.
Cum sua gentiles studeant figmenta poetae	Cum poetarum studiosa consuetudo gentilium
Grandi sonis pompare modis,	fabulosi carminis nugas
	nobilium commendet pompa uerborum ;
tragicoque boatu	et, siue clamoribus coturnatae tragoediae
Ridiculoue Geta,	seu ridiculi Getae comica foeditate
seu qualibet arte canendi	uel quibuslibet metricae numeris disciplinae
Saeua nefandorum renouent contagia rerum	priscorum scelerata temporum gesta
Et scelerum monumenta canant rituque magistro	nonnulla etiam probrae narrationis arte composita
Plurima Niliacis tradunt mendacia biblis ; etc.	Niliaci papyro gurgitis calamo perarante contra-
	[dant, etc.

Aduertes primo uocem *consuetudo*, quae incorporalis est, ui clausulae esse a scriptore arcessitam, atque ex genetiuo *gentilium* sumptum esse ionicum a minori eum quem expostulabat clausula. Habes ergo *cum poetarum consuetudo gentilium* : quod incisum cum breuius scriptori uisum sit, ex uerbo quod erat *studuit* adiectiuum hoc detorsit quod est *studiosa*. Deinde relicuum fuit ex primo uersu uocabulum *figmenta*, quod in incisum nouum circumlocutione protenditur : *fabulosi carminis nugas* Mox ut tertia clausula conficiatur, uenit in mentem scriptoris *pompa uerborum*, cui adicitur uerbum *commendet*. Sed est et *grandisonis* in Carmine ; ponitur ergo simile adiectiuum in Prosa, *nobilium*. Tribus igitur incisis uel uersibus Prosa auxit id quod Carmen uno uersu et dimidio expleuerat. Simili ratione aucta esse teneo uocabula haec *tragicoque boatu* in hunc uersum longiorem : *siue clamoribus cothurnatae tragoediae*, ubi adiectiuum inane est sed numeris expostulatur. Mox habes ex duobus etiam uocabulis alium uersum, cuius in clausula iterum ponitur uox incorporalis *foeditate*. Veri simile est ergo in mentem scriptoris uenisse primum *Getae foeditate*,

sed utrumque uocabulum. Sedulius adiectiuo pleonastice quidem decorauit, ut et uoce illa *comica* conficerentur numeri, et hac *ridiculi* satis longum fieret incisum. Deinde Sedulius ad fingendam sextam clausulam praesto habuit in primis uerbum *disciplina*, quod idem ualet ac *ars* atque saepius deinceps usurpabitur, propterea quod commodissimum praebet ditrochaeum. Creticus uero qui deerat, ex uerbo *numeris* haustus est; iam ergo illud habes *quibuslibet numeris disciplinae*, quod cum breuius efficiat incisum, adiectiuo redundanti augetur : *uel quibuslibet metricae numeris disciplinae*. Tum habuit scriptor ex duobus uersibus clausulas duas, quarum imperfecta altera per rimum alteri aptatur ; utra uero ei in mentem prior uenerit, ambigitur. Puto pro *scelera* illum finxisse *scelerata gesta*, deinde intexuisse *priscorum temporum*; quod cum in imperfectam clausulam desineret, uoluit artifex ille clausulam sequentem eodem sono perficere; itaque pro uerbo *canere* sumpsit *componere*, cuius participium usurpauit *composita*. Sed erat dicendum *ritu* quod idem est ac *arte;* habuit ergo clausulam perfectam *arte composita*. Mox erant describendae huius artis *plurima mendacia*: quamobrem *plurima* pro *nonnulla* mutauit, et id quod est *mendacia*, expressit hoc qualitatis genetiuo : *probrae narrationis*. At cum participium *composita* non referatur ad *temporum gesta*, sed alteram figuram eiusdem uerbi instituat, additur uox *etiam* : *Nonnulla etiam probrae narrationis arte composita*. — Sequens uersus poterat tribus uerbis expleri : *scribant in papyro*. Pro uoce *scribere* ea circuitione usus est Sedulius, quae participio inani et uana praepositione conficitur : *calamo perarante contradant*. Deinde id quod est *papyro* remouetur, cuius ablatiuus ne amphibologiam cum ablatiuo clausulae efficeret, utrinque inani genetiuo circumdatus est : *Niliaci papyro gurgitis calamo perarante contradant*. Ne plura : ex iis quae dixi quamuis leuia quaedam aut incerta esse uideantur, tamen fortasse efficere potui, ut enuclearem quanti momenti sit, in amplificandis incisis, numerorum necessitas; cum uero illum Sedulianum locum sine ullo delectu proposuerim, nunc licebit alios paucos seligere, quibus magis perspicua res habeatur.

CARM. PRAEF. 3. *Pone supercilium, si te cognoscis amicum.*

OP. PRAEF. 175 2 : *Erectum supercilii depone fastigium,* | *si carus aduenies et amicus.*

In eo quod est *erectum*, inanem habemus eam, quae a rhetoribus dicitur, hypallagen ; uerum sine adjectiuo breuius esset incisum quam ut clausulam tolerare posset. Notabis itidem inanem esse coniunctionem *carus et amicus.*

CARM. PRAEF. 16. *Rubra quod udpositum testa ministrat holus.*

OP. PRAEF. 176 4 *Quod in rubra testae parabside* | *uoto magis quam splendore cernimur ministrare.*

Ponitur *testae* genetiuus inanis ut incisum protrahatur ; ratione simili *uoto magis quam splendore.*

CARM. I, 50 *Parcite puluerei squalentia iugera campi*
Et steriles habitare plagas...

OP. I I, 178 8 *parcite quaeso iam parcite* | *squalentium harenosi pulueris glebis* | *et sterilium nuda perfrui siccitate camporum.*

Apparat uerbum *parcite* esse ingeminatum, ut inde fieret clausula ; atque in secunda clausula sunt substantiua *pulueris glebis*, et in tertia *siccitate camporum* : quibus singulis adiectiua adiciuntur, ut augeatur uerborum ambitus, neu sensus immutetur.

CARM. I, 55. *Per latices intrate pios...*

OP. I I, 178 15 *Per liquidos puri fontis latices introite...*

Satis fuisset ad sensum *lacites introite*, sed clausula augenda erat inanibus uerbis *liquidos puri fontis.*

CARM. I, 58. *Ut messis queat esse Dei.*

OP. I I, 178 18. *Quae nimia frugis ubertate multiplicis* | *Dei queat esse iam messis.*

Luce clarius est primum prosae uersum tot inanibus et idem significantibus uerbis esse ita conflatum, ut et clausula fieret et rimus, nec tamen rerum sensus augeretur. Fere simile aliquid dicendum de exemplis aliis innumeris, quae, cum mihi selegerim, non arbitror hic esse proferenda ne taedium faciant; satis enim ostendisse mihi uideor in hoc maxime positum esse sermonem rhetoricum, ut caderent ad mensuras incisa quamuis breuia; utque uocabula duo uel tria, quibus sensus expletur in CARMINE, cum aliis uocabulis inanibus coniungerentur, quorum coacernatione fieret incisum, idque numeris aptissimum.

Si quis uero censeat ad solum Sedulium pertinere posse coaceruationes huiusmodi, quippe qui fidus ipse sui CARMINIS interpres sententiam sententia reddere curauerit, monebimus simili artificio scriptos esse a Sedulio locos prosae nonnullos qui penitus desunt in CARMINE : quibus locis intellegi potest, illam scribendi rationem fuisse peruiam et apertam aliis quoque scriptoribus qui suas sententias, non ex priore carmine sed ex ingenio sinceras deprompserunt; namque cum rhetoricus ille sermo poeticam artem non modo aequare sed superare contendat, quanto magis ipsam naturam uincere aut fucare coloribus potest et debet! Erat enim in arte poetica moderatio quaedam, puto, quia poetae priores atque inter ceteros eximii, conati erant potius uniuersas sententias artioribus mensuris includere, quam res impares porrigere inani uerborum copia; itaque ipsi temperationem illam poeticae artis instituerunt, a qua imitatores posteri noluerunt decedere : quanquam, ut iam diximus, cum apud ipsos poetas ingenio atque aetate praestantissimos, tum apud eos qui minus puri postea floruerunt, inania quaedam ornamenta reperies, quae propter metrorum necessitatem bona uenia sunt excipienda[1]. Solutae autem orationis numeri tum cumulate artificiosi facti sunt summamque auctoritatem sunt assecuti cum litterae in peius abire iamdiu coeperunt; atque ipsi cum essent carminibus remissiores, neque ullis ueterum exemplis cohiberentur, se latius effuderunt, ornatuque putido in redundantias inanes profluxerunt. Exornauit igitur Sedulius illo superuacuo uerborum flumine cum ea quae ex CARMINE in prosam conuertit, tum ea quae ex ingenio sincera deprompsit : cuius rei documento est hic locus, qui omnino deest in CARMINE :

V VIII, 280 3 Absit ut in nobis uitia *permaneant et senescant*. Sed cum diuina *clementia patienti longanimitate mitissima* | iudicii suspenderit ultionem, | nulla nos ex istis induciis spes impunitatis obtundat | sed tanquam famuli *diutius* fugitiui | sero saltim nostrum reuertamur ad Dominum, | ab ipso uel senes *lubricae iuuentutis ueniam* postulantes; | quamuis conueniat unumquemque peccantem, | confestim cum adhuc est culpa *recentior*, *pœni-*

---

[1] Haec ex ipso Vergilio afferre liceat : *AEn* XII 905 *gelidus* concreuit *frigore* sanguis; 908 ubi *languida* pressit | *nocte quies*; etc.

tentiae ferramentis eius ulcus abscidere | ne serpentis morbi primitiae | uelut *radices amari germinis* altius *neglegentis agricolae remissione submersae,* | *nullo* ualeant euelli penitus *iam labore,* etc.

Sed eiusdem rei exempla manifestiora deligere possumus, scilicet circuitiones eas, quibus inducuntur loci ex Scriptura uel ex aliis auctoribus deprompti; quae et desunt in CARMINE, et inani plerumque uerborum copia semper ad clausulas flectuntur : I IX, 183 21 *ita denique propheta cecinit illa significans*; I XXVII 191 11 *poeta saecularium ita cecinit litterarum* [i. q. Vergilius]; 17 *de qua uates ait talium canticorum .. et in sequenti nihilominus psalmo similiter explanauit*; I XXVII, 192 2 *audiamus ipsum quoque rerum omnium conditorem* | *in Euangelii sui sacrosancto sermone* | *cuius esse memorarit hanc urbem,* [*dicens* [1]]; I XXXI, 196 12 *Dauiticam mereamur dicere cantilenam*; II IV, 199 15 *claruit fetu uirgineo* | *spiritalis gratiae manifesta promissio : Et uerbum caro factum est...* II IV, 200 10 *ut Dauiticus ipsum psalmus ita pronuntiet,* 19 *audiamus uocem Pauli dicentis apostoli;* II VI 201 14 *igitur ut euangelicus sermo testatur ipsa pronuntians*; II VI, 202 20 *apostolica namque doctrina sic explicat;* II VII, 203 19 *quod Zachariae designat oratio... nam et Dauiticus similiter continet psalmus...*; II VII, 204 13, *nonne legeras eum Dauitico cantico sic monentem...*; II VIII, 205 16 *euangelicum ergo sequens ait ita capitulum...*; II VIII, 206 21 *sic enim sequentibus patefecit alloquiis* [*dicens*]; II VIII, 207 6 *Dauitico tamen testimonio sic planauit...*; II VIII, 208 17 *de flamma rubi non ardentis hoc edidit,* 19 *Iudaeos praeponens antiquitate, sic inquit...*; II IX, 209 5 *lectionis itaque sermo prosequitur...*; II X, 209 16 *dehinc talia per ordinem gesta narrantur...*; II XII, 211 16 *ut Euangelista significat...*; II XII, 212 6 *proclamare coepit et dicere,* 21 *de quibus propheta cantitans haec designat...*; II XIII, 213 3 *euangelicae lectionis ergo textus ita prosequitur...,* 21 *Deus uoce Patris asseritur,* [*dicentis*]...; II XIII, 214 2 *nam qui dixit sui lege mandati...*; II XIV, 215 22 *Dauid*

---

[1] Interdum accidit ut uocabulum *dicens* uel *dicit* extra clausulam reiciatur, et potius referatur ad id quod sequitur. Cf. L. VALENTIN, *Saint Prosper d'Aquitaine*, p. 885. Incertas esse Lactantii clausulas quae scriptorum aliorum testimonia uel locos antecedunt, comprobauit R. PICHON, *Lactance*, p. 324.

ita memorans breuiter explanauit...; II xiv, 217 2 *cum tali responsione confudit*, [*dicens*]...; II xiv, 218 6 *sic eloquens perculit uox diuina*...; II xv, 218 13 *ait ergo lectionis instructio*...; II xvi, 219 13 *quia sicut scribit Paulus apostolus doctor egregius*...; II xvii, 220 17 *discipulos confortabat haec alloquens*; 224 16 *alloquens suos ita discipulos inter alia quae docebat*; 225 5 *beatitudinem... his uerbis praedicat inhaerere*; 13 *audiamus hinc etiam... propheta quid dicat*; 19 *apostolus ad Corinthios usus epistola | manifestauit spiritales epulas esse doctrinam*, [*dicens*]...; III iii, 233 16 [*leprosus*]... *Dominum sic inquiens postulabat*...; III xiv, 243 6 *euntes ergo sic ammonet, inter alia quae docebat*...; III xiv, 244 11 *Paulum audiamus Apostolum similiter haec dicentem;* 15 *et iterum monet idem doctor et dicit*...; III xxiv, 251 5 *sidereique sermonis oraculo caelitus prorogato, cum dicit*...; III xxvii, 253 15 *ita namque lectio diuina proloquitur*...; IV i, 255 8 *Esaias namque propheta magnificus ita noscitur elocutus*. .; IV v, 258 8 *increpans sic in eam*...; IV viii, 260 12 *nequissimus ille diabolus talem fremuit in clamorem*...; V viii, 279 22 [*Dauid propheta*] *se deliquisse tali prece signauit*...; V x, 281 18 *secundum psalmi continentiam proloquentis*...; V xi, 284 2 *dicentes furialiter et clamantes*...; V xviii, 288 21 *ita loquebatur inludens*...; V xviii, 289 7 *Dominum sic precatur*...; V xxiii, 293 1 *scriptura quippe uenerabilis dicit*..; V xxxvi, 301 16 *sicut ipse docuit alloquetur*...; V xxxvii, 302 2 *sic inquiens ac decernens*...; V xxxviii, 302 19 *respondit euidenter ac dixit*, etc.

Satis igitur constat sermonem rhetoricum saepe propter numeros inaniter auctum esse ; sed et alia communicat cum poetico sermone, a quo fortasse primum eam similitudinem mutuatur, ut quasi totidem uersiculos quot distincta clausulis incisa comprehendat : atque a Sedulio res eo perducta uidetur, ut interdum Seduliana extent incisa nonnulla, quae ad hexametros uersus more Commodiani [1] legitimos prope accedant ; haec accipe :

[1] Ut est hic versus (Commod., *Carm. Ap.* 16) :
Multi quidem bruti et ignoti corde sopiti...

Praef. 175 7 nobilium debes cenis satiari doctorum.
[Carm. *Prol.* 9. nobilium nitidis doctorum uescere cenis.]
I ii, 181 1 et antiqua patrum testis origo priscorum
[Carm. I 93-4 et cana priorum | testis origo patrum.]
I xxii, 189 10 flammigera lustrare uelocitate non cesset.
IV xv, 266 7 lymphatae pestis subito nacuatur abcessu.
[Carm. IV 188 carnalemque lacum pestis lymphata reliquit.]
IV xvi, 266 10 quem procul ut decem miseri uidere leprosi.
[Carm. IV 191 hunc procul ut uidere decem maculosa gerentes | [Leprosi.]
V i, 273 1 inter has diuitum copias sine fine uirtutum.
V i, 273 17 nequaquam signis ita manifestis impulsam.
V x, 282 18 simul ab utrisque dignus elementis expelli, etc.

Idem clausularum pondus efficit ut in Seduliana prosa tanquam in Carmine esse possint eae sonorum geminationes quas nunc homoeoteleuta siue rimos uocamus : quae ideo ponuntur ut in comprehensionibus uerba uerbis quasi demensa et paria respondeant [1], atque eiusdem uersus pars prior concinat eum posteriore. Incredibile est quam crebri sint apud Sedulium eiusmodi rimi :

Ep. ad Mac. 172 14 nec eorum quispiam mordacis linguae laceratur *iniuria* | cum potius inde laudis consequantur *augmenta.*

Id. 172 17 aliud namque est mutare com*posita* | et aliud integrare non *plena.*

— 20 Nullis terminari sensibus que*ant*, | nullis explicari linguis eua*leant.*

Praef. 173 4. Proferant igitur *sua* | si qui carpere nituntur ali*ena.*

— 7. Nullum fore quamuis impudenter obloq*uium*, | si meruero dextrum tui pectoris adipisci iudic*ium.*

— 10 Tu facies ut delectet euasisse *discrimina*, | cum serenior coeperis euasisse *tranquilla.*

— 13 tandem aliquando post *undas*, | calcare liceat nos *harenas*; | tetigimus montes in *pelago*, | tangamus montes *ex saxo* [2].

I i, 177 15 huc igitur aegras cuncti mentes *aduertite*, | hanc morbis medicinam letalibus *adhibete.*

I i, 178 4 quid adhuc labruscham bonae uiti *praeponitis*, | quid nitidis saliunculam rosariis *antefertis*?

I ii, 179 17 repentina surgentis inundatione diluuii mersum penitus ac *sepultum*, | ex una rursus progenie multiplicas *restitutum.*

I ii, 180 1 quod carnis delicta necauerant fida ligni protectione *uallatum*, | per unum totius mundi baptisma panderes *abluendum.*

---

[1] Cic. *Or.* XII, 38.

[2] Vides quam sit artificiosus iste locus, quem tamen Iuretus mutilum esse suspicatus erat (Cf. Mign., p. 548, n. 10).

— 4 quae ad salutaris urbis *moenia* | paucorum dirigit angusto calle *uestigia*.

I iii, 181 16 nascendo terrae munus *impleuit*, | sed morte miraculum cui subtractus est *concitauit*.

I v, 182 4 stetit puer ad *iugulum*, | et factus est aries *holocaustum*...

— 7 Abraham gladium protulit ut *feriret*; | et Dominus sacrificium sibi *mutauit ut parceret*.

I xi, 184 19 Christus in *pelago* | Christus in pane, Christus in *saxo*...

I xx, 188 15 feri praedonis in *utero* | portum dedit esse *naufragio*, | rore si*dereo*, | puerorum membra proluit in ca*mino*...

— 19. Leones praedae *parcere* | et rapinam docuit non *amare*...

I xxviii, 192 15 [lapis] ab aedificantibus *reprobatus* | in anguli nitet capite *constitutus*.

— 22 ut deitatis una *potentia* | inseparabili semper uirtute *conspicua*, | et simplici maiestate sit *triplex* | et triplici persona sit *simplex*.

I xxxi, 195 17. Aliena quidem *suspiciens*, | sed propria non *relinquens*.

II v, 201 5. Ut eius imperium, potestas et *nomen* | nec initium nouerit habere nec *finem*; || quae beati uentris honore *conspicuo* | simul et mater esse probaris et *uirgo*; || cui nulla penitus aequalis femina reperi*tur* | quae tuum decus similiter praecesserit aut sequa*tur*, || sola placens singulariter Chris*to* | nulli compararis exem*plo*.

II vii, 204 7 legemque legis ac negle*gis* | qui regi regum tua regna minita*ris*; || caret uerbis haec cul*pa* | caret excusatione perfi*dia*. || Non enim conaris extingu*ere* | quem tu promiseras ador*are*; || minus forte delin*queres* | si de Christo nil quae*reres*, || quatenus homicida tantum uelut ignotum hominem persequen*do* | non etiam sacrilegus esse Deo uidereris offen*so*.

II xvii, 228 11. Nullum tamen facile crimen admitti*tur*, cui pecuniae ministerium minime suffraga*tur*. || Igitur diuinae pietatis munus indep*ti* | et impunitatem caelestis indulgentiae consecu*ti*, || quod accep*imus* | inuicem non nege*mus*...

III ii, 257 4. Qui ieiuniis ci*bum* | sitientibus po*tum* | peregrinis ministrat hospi*tium*; || moestos solatur in car*cere* | fouet aegros in cor*pore*; || cunctisque largissi*mus* | sibi tantum pauper est et ege*nus*.

III ii, 257 8. Quae sub uilissimi pauperis for*ma* | Christo probatur impen*sa*, || quae detrimentis auge*tur* | spargendo serua*tur*, || perit ut mane*at*, | uitam mortua repraesen*tat*.

V xxvii, 295 14 mater uirgo cum cete*ris* | mulieribus fideliter congrega*tis*, || quae munus pariter ferentes aroma*tum* | Domini uenerant ad *sepulchrum*, || lacrimis ora sulca*bant* | pectus gemitibus commoue*bant*; || moxque locum conspiciunt sepultu*rae* | uacuum corpore iam pa*tere*.

V xxxiv, 300 16. Nam piscis aqua uidetur intelle*gi* | qua nos ablui certum est ac renas*ci*; || panis Christum significat saluato*rem* | cuius eodem corpore uescimur ad salu*tem*; || ignis Spiritus sancti gerit imagi*nem*, | quo deuoti consecramur ad fi*dem*.

II vi, 201 18 ostendit Euangelistae fidelis asser*tio* | de cuius ageretur hic re*gno*; || quando caelestis militiae multitu*do* | Deum laudat in Chris*to*; | ut licet humana fuerit pro matris condicione crea*tio* | deitatis tamen una commu*nio* | Patrem cognosci demonstret in Fi*lio*.

V xxix, 298 2 quae fuit nascentis ian*ua* | dum uenisset in mun*dum* || haec eius esset et nun*tia* | deserentes infer*num*...

Exemplo paenultimo satis apparet multos uersus in eundum rimum cadentes tolerari posse, ultimo rimos alternis uersibus inter se aliquando respondere. Sed et alia documenta proferemus, eorum scilicet rimorum quos leoninos uocant, ut incisum longius quasi in caesura haereat, ac eundem sonum anticipet, quo conficitur clausula :

Ep. ad Mac. 173 8 si meruero dextr*um* | tui pectoris adipisci iudici*um*.
Praef. 175 1 accubitare nos*tris* | non dedignatus in to*ris*.
[Carm. *prol.* 2, dignatus nos*tris* accubitare to*ris*.]
Praef. 176 1, flauescunt nectar*eis* | sua mella cum cer*is*.
[Carm. *prol.* 13, cerea gemma*tis* flauescunt mella canis*tris*.]
I i, 178 9, et sterili*um* | nuda perfrui siccitate campo*rum*.
I i, 178 17, nutrit sege*tem* | reuulsa sentium asperitate crescen*tem*.
I ii, 180 16, si uelis glaciali*bus* | segetes annuas flauere tempori*bus*.
[Carm. I 8, si iubeas medi*is* segetes arere pruin*is*.]
I ii, 181 1, et antiqua pa*trum* | testis origo prisco*rum*.
I xiv, 186 2, quam bene uocabu*lo* | pariter connenienter ac meri*to*.
[Carm. I 184-5, quam bene fulmin*ei* praelucens semita cae*li* | conuenit.
I xvi, 186 14 tutusque mitissi*ma* | sub uoraci uentre custod*ia*.
I xvii, 187 5 uicerunt imagine*um* | poena deficiente supplici*um*.
[Carm. I 203,... imagine*ae* uicunt incendia poen*ae*.]
I xxix, 194 5, sicut per euangeli*cam* | locutus est ipse doctri*nam*.
II vii, 203 20, nam et dauiti*cus* | similia continet psal*mus*.
II xiv, 217 4, adhuc ex hum*ana* | cernitur respondere pers*ona*.
III vi, 235 12, turbauerat moes*tos* | salus desperata discipu*los*.
III vi, 236 14, sic etiam leui*um* | praepes natura uento*rum*.
[Carm. III 69, mouerunt aui*das* uentorum gaudia pen*nas*.]
III x, 240 6, sed ubi credu*lo* | iam sani cordis arc*ano*.
III xxii, 249 1, organa debili*um* | statuit temperata membro*rum*.
[Carm. III 256, et reuocata su*is* attemperat organa ner*uis*.]
II xxiv, 249 23, nec ardens ca*uo* | ponitur lucerna sub mod*io*.
[Carm. III 276, Vrbs in monte sed*ens* modio nec subditur in*gens* | lychnus.]
III xxv, 251 8, at postquam corpor*eum* | Dominus resumpsit aspec*tum*.
[Carm. III 293, postquam corporeos uirtus regressa per artus.]
III xxvi, 252 7, tunc mobili*um* | uelox habitator undar*um*, || uorauit tremul*as* | hami decipientis insidi*as*.
IV vii, 260 1, si nos antiqu*ae* | lubricum poeniteat iam ruin*ae*.
IV ix, 261 12, curauit obla*tum* | gemina quendam calamitate miserrim*um*.
IV xxii, 272 14 qui sider*eum* | cum Patre moderatur imperi*um*.
[Carm. IV 308, qui regit aethere*um* princeps in principe regn*um*.]
V i, 273 1 inter has diui*tum* | copias sine fine uirtu*tum*.
V iii, 276 19 nunquam nox*ios* | aut pax coniurat in glad*ios*.
[C. V 68 nunquam terribi*les* | aut pax coniurat in en*ses*.]

V x, 282 9 sibi mortif*erum* | nihilominus molitur interi*tum*.
V xv, 285 12 igitur al*to* | patibuli defixus in *ligno*.
[C. V 182 protinus in patu*li* | suspensus culmine li*gni*].
V xv, 286 1 caput enim Chris*ti* | distentis in cruce membris exposi*ti*.
V xviii, 288 8 inter latro*nes* | namque iusto pendente carnifi*ces*.
[C. V 205 inter carnifi*ces* | iusto pendente latro*nes*.]
V xxi, 291 6 cumque ta*lia* | cernerent euenire miracu*la*.
X xxxviii, 299 16 non uult inqui*ri* | non uult sua fata cogno*sci*.
[C. V 390 non uult cogno*sci* | non uult sua facta requi*ri*.]
V xxxviii, 302 12 totumque pro*prio* | regit et gubernat arbi*trio*, etc.

Aduertes leoninam caesuram, qua saepius adiectiuorum rimi cum nominibus inducuntur, quadam symmetria expostulari, non sensu ; neque permiscendam esse cum illa de qua prius diximus infractione numerorum, ubi sensus aliquis medius interuenit : quanquam ut iam dixi, infractiones ipsae numerorum quo suauius cadant, rimos interdum recipiunt, nec iniucunde rimi adhibentur ipsis clausulis quae ueniunt ad numeros, cum par pari refertur.

Ne plura : quanti momenti sint clausulae in pernoscendo Sedulianо scribendi genere, uideor mihi sic enucleasse, ut res in uniuersum spectata nemini possit esse dubia. Poterit post me uir quilibet harum rerum studiosus inuentum nostrum perpendere diligentius et aliis scriptoribus adcommodare ; mihi sufficere debuit ut rei nouitatem (si qua sit) indicarem. Nunc tamen renouare licebit illud quod initio dixi, ceteras deprauationis causas ab eruditissimis uiris indagatas, nec neglegendas esse nec ex meo animo excidisse ; sed hanc unam e tam multis hactenus subobscuram commendare uolui, ne in perscrutanda temporum illorum oratione soluta, ea ratio deinceps omitteretur, quae tanto usui tantoque praesidio esse potest.

CONCLVSIONES

I. In diiudicandis clausulis (si extrema dimiseris monosyllaba uocabula, uel ea quae syllabis conficiuntur pluribus quam quattuor), postremum uocabulum pro pede haberi potest et antiquis etiam scriptoribus habebatur, quotiens duabus esset syllabis, uel tribus quarum paenultima breuiaretur. Trisyllabae uero uoces paenultima longa praeditae ita caedebantur, ut syllabam primam superiori proximo tribuerent pedi, qui plerumque fuit creticus. Atque eadem fuit condicio tetrasyllaborum, quae si paenultimam haberent breuem, primam syllabam priori pedi concedebant, nisi essent paeonis primi forma insignia, quo in genere pro solutis creticis habebantur : sin vero paenultimam longam, plerumque superiore cretico fuerunt augenda, siue puro siue libero. Atque haec quidem in iis clausulis quas Cicero ipse ceteris potiores habuit : illae uero clausulae apud Ciceronem sollemnes, cum iam Sedulianis temporibus ceteras eiecerint uel sibi adsciuerint, haec lex ad Sedulianam claudendi artem uniuersam pertinet.

II. Ex illis clausulis eae quae maxime sunt omni tempore frequentatae, spondiacam dico et dicreticam, sollemnibus utebantur caesuris duabus, quarum altera eaque multo magis trita. fiebat post trochaeum priorem, altera, quae progrediente tempore prope obsoleuit, post priorem creticum. Ditrochaica autem clausula, cuius extremo uocabulo creticus plerumque praemittendus erat, post illum ipsum creticum solebat intercidi. Atque haec quidem cum iam a Ciceronianis temporibus in consuetudinem uenire coeperint, Seduliana aetate pro lege penitus accepta rataque habebantur.

III. Caesuris internoscendis non modo obstare non pos-

sunt, uerum etiam grauissimo documento sunt eae quae vocantur *enclisis* et *proclisis*, quarum ui monosyllabae uoculae cum proximis insequentibus uel antecedentibus uocibus conglutinantur, ut uocabulum e duobus unum fiat. Atque encliticae fiunt apud Sedulium extremae clausularum uoculae quae sunt *est*, *sunt*, neque unquam a clausulis sunt abiudicandae.

IV. Quanquam Cicero curasse uidetur ut uocales extremas uocabulorum elideret quotiens cum insequentibus concurrerent uocabulis, atque uiri docti exemplo Ciceronis nixi aliis scriptoribus, qui post eum floruerunt, elisiones tribuendas esse arbitrati sunt, nobis tamen compertum est Sedulio ita iniucundos fuisse hiulcos sonos, nisi in uocabulis maxime tritis occurrerent, ut eis quantum poterat abstineret ; quos uero nonnumquam coactus ipsa sermonis natura passus est praecipue in clausulis, eos certe esse sine elisione dicendos ; atque genetiuorum in *ii* et exituum huiusmodi *uocata est*, *fugiendus est*, eandem fuisse condicionem, ut binis syllabis articulatim appellarentur.

V. Primo obtutu cum appareat tantum non semper Sedulio satis fuisse, ut uel trisyllabis uocabulis clauderet paenultima longa et plerumque molossica forma insignibus, uel uocabulis tetrasyllabis, quorum alia paenultima breui praedita dicreticam libentius explerent formam, alia paenultima longa ditrochaicam, sequitur ut in dinumerandis Sedulianis clausulis triplex claudendi genus instituatur, cuius primo statim adspectu docemur eodem recidere ui accentuum cetera Seduliana claudendi genera fere omnia, quae a sollemnibus formis spatiisue recedunt.

VI. Clausula spondiaca in primis, ut apud Ciceronem, ita apud Sedulium his spatiis uersatur plerumque –́ ⏑ | –̀ –́ ∾ uel –́ ⏑ –̀ | –́ ∾ (*in centenis 76, 7^{es}*) ; alia tamen genera spatiis aliis diuersa et ad priscam legem legitima iisdemque accentibus praedita Sedulius adhibuit fere *in centenis 10^{es}*, ut priscis quantitatibus seruiret *84^{es}*. Hac uero forma quae est –́ – | –̀ –́ ∾ usus est *in centenis 14^{es}*, de qua mox dicturus sum. Accedunt dissolutiones cretici prioris legitimae atque optimae –́ ⏑ | ⏑ ⏑̀ –́ ∾ 24, quibus consociandae sunt clausulae decem, spatiis diuersae, similes accentibus, ut crescat earum numerus ad 34.

VII. Clausula dicretica, quae e pluribus priscorum numerorum fontibus fluxit (–́ ⏑ | –̀ –́ ⏑ ∼, –́ ⏑ | –̀ ⏑́ ⏑ ∼), sub utraque hac forma sollemni, fere 57es *in centenis* a Sedulio usurpatur. Occurrunt tamen (*in centenis 30*es) aliae formae ad priscam legem conformatae, ut hoc in genere Sedulius priscis spatiis morigeretur *87*es; relicua iis spatiis conficiuntur, quaecumque accentus seruant incolumes, hisque in primis a quibus ueteres abhorrebant, –́ ⏑ | ⏑̀ –́ ⏑ ∼ (*fere 6*es).

VIII. Clausula ditrochaica, quae ex cretico et ditrochaeo ueteribus fluit, his etiam pedibus *23*es continetur ; uerumtamen, quod iam apud Ciceronem usu receptum erat, cretici partes prioris agere potuit anapaestus aut dactylus (fere *32*es) et pro ditrochaeo dispondeus adhibetur *26*es, neque omnino a ueteribus eiciebatur; nec desunt aliae formae diuersorum generum legitimae, quibus non repugnat accentus (in centenis *8*es), ut legitimum sit ex prisco more ditrochaicum Sedulii genus *89*es *in centenis*.

IX. Inde consequitur, quod ad Sedulii res prosodiacas attinet, ut ad priscam normam conformandas esse teneamus formulas quasdam, numero uix 105, quas e dinumerationibus prioribus tanquam dubias extriueram, ut quae sunt *sentiendŏ*, *săcra*, *sermŏ*, etc.

X. Accentus cottidiani uim et pondus in clausulis a priscis temporibus aliqua ex parte repetendum esse, docemur Ciceronis exemplo, qui in spondiaco, dicretico, ditrochaico genere non modo eas eiecit innumeras uocabulorum copulationes quibus accentui uis aliqua inferri posset, uerum etiam adamauit (in centenis, quod minimum sit, *80*es) arses pedum cum accentuum ictibus consociare : praeterquam quod creticos interdum in paeones primos dissolui passus est. Neque defuerunt aliae clausulae, eaeque Ciceroni prae ceteris iucundae, quae quamuis diuersae spatiis, eodem tamen accentibus conuenirent. Sedulianis igitur temporibus obsolescente dissolutionum consuetudine atque uiuido quantitatum sensu hebescente cum firmior etiam extaret accentuum ratio, scriptor noster quamuis spatiorum gnarus atque studiosus, suo tempori concessit ut (in centenis *13*es) iis tantum accitis spatiis quibus saluus maneret accentus, pedum arses

solis accentuum ictibus signaret, spatiaque praesertim in exitibus uocabulorum magis haberet incerta.

XI. Praeter illud claudendi genus triplex idque sollemnissimum, comperimus prisci moris alia rara monumenta remansisse, quae Sedulio satis nota fuerunt, sed imperfecta habita sunt, prorsusque indigna quae comprehensionum exitus clauderent, ea tamen lege nonnumquam (in centenis *ter*) tolerata, ut artificioso quodam obice flumen comprehensionis intercluderent, moxque exitus plane numerosus rimisque exornatus insequeretur. Porro adscribendi sunt inter imperfectos huiusmodi numeros illi in primis ∼∼ | ∼∪∼, hac tamen forma plerumque praediti ad priscum morem legitima ´∪̆ | ´∪∼, atque ea dicreticae clausulae caesura praeter illum usum obsoleta, quae est ∼∪∼ | ∼∪∼.

XII. Relicui sunt Seduliani loci 79 qui contrarii Sedulianae legi esse uideantur; quorum 69 bona crisi paratam habent medelam : nam hoc in genere clausulae purae instaurari possunt ope librorum eorum PR qui optimi habentur, 16ᵉˢ, ope librorum aliorum in primisque, libri F quem nunc primum e tenebris ad lucem uocamus, 46ᵉˢ; indeque uidetur augenda horum librorum auctoritas. Clausulis igitur iis quae uidentur claudicare, libri reuera medelam praebent 62ᵉˢ, quo fit ut aliquo modo potuerim coniectura sanare locos alios 7; decemque loci uix residui sunt, quibus mederi uel nolui uel non potui.

XIII. Summa Sedulianarum clausularum, iis aucta formulis quarum prius quantitates pro dubiis habueram, et ceteris quas emendadas esse censeo, uniuersa instituenda est, quae ad numerum accedit 3349. Porro PASCHALE OPVS cum uersus complectatur 2414, uersus uero uocabulis octo plus minusue fiant, de copia Sedulianarum clausularum sequitur ut Sedulius circiter quinto quoque uel sexto uocabulo, prout incisa id ferunt, concludere soleat.

XIV. Clausulas dinumeraui ex his spondiacas 1124, quibus adiungendae sunt prioris cretici dissolutiones 38; dicreticas 1250, ditrochaicas 837, quarum summa omnium est 3249. Porro longe praestant numero dicreticae in exitibus incisorum 1080 (spondiacae cum sint ibidem 864, ditrochaicae 576);

in exitibus uero capitulorum uidentur extare ditrochaicae numero 53 (cum sint ibidem spondiacae 41, dicreticae 38); in exitibus comprehensionum, eminere uidentur spondiacae 219 (cum sint ibidem ditrochaicae 208, dicreticae 132). Quibus omnibus si coniungantur imperfectae clausulae 90, adeoque eae 10 quarum praesto mihi non fuit medela, erit Sedulianum clausularum summa tota 3349; indeque efficitur ut Sedulius fere *nonagiens septiens* solita claudendi genera adhibuerit, *ter uero in centenis* sciens uolensque clausulis imperfectis usus sit : atque loci relicui decem insanati pro nihilo tantum non habeantur necesse est.

XV. Sermo Sedulianus, quem ipse scriptor rhetoricum uocauit, cum aliis de causis inquinatus uidetur, tum etiam deprauatus est ipsa clausularum coaceruatione uana, cuius pondere lex grammatica interdum infringitur, atque plerumque uocabula ipsumque orationis totum flumen inaniter augetur.

Vidi ac perlegi :

Montispessulani, die XXX Ianuar. ann. MDCCCCIV,

Facultatis Litterarum in Academia Montipessulanensi Decanus,

P. GACHON.

Typis mandetvr :

Pro Rectore Academiae Monspeliensis absente, Iuris Facultatis decanus delegatus,

VIGIÉ.

Montispessulani, die XXX Ianuar. anno MDCCCCIV.

INDICES

I. — INDEX LIBRORVM, EDITIONVM, OPERVM QVAE MIHI ADIVMENTO FVERVNT.

I. — Libri et editiones praecipuae.

1° *Codex Parisinus* P, B. N. Lat. 12279 (s. IX) ff. 47a-59b.
2° *Fragmentum Sangallense* G. 877 (s. IX) ff. 124-5.
3° *Codex Harleianus* H, 3012 (s. X) ff. 33b-71b.
4° *C. Floriacensis* F nunc Aurelianis seruatus in bibl. publ. 303 (s. X), ff. 142-218.
5° *C. Bruxellensis* B, 5664, (s. X) ff. 166r-183v.
6° *Iureti codex* I nunc deperditus, sed accuratissimis Iureti adnotationibus satis notus.
7° *Editio princeps* a Iureto data Parisiis 1585, nunc deperdita, uel potius ita rara ut neque ulli eorum qui eam quaesierint neque mihi occurrerit. Hanc perscripserunt *Bibliothecae Patrum* nonnullae, in primisque
8° *Editio* Gallandii, de Seduliana prosa emendanda satis meriti : *Sedulii presbyteri libri quinque Paschalis Operis studio Francisci Iureti primum editi, et notis illustrati, nunc uero iterum recogniti et emendati* (in *Bibl. Patr.*, t. IX, pp. 533-sqq.). Parisiis, 1773.
9° *Editio* Arevali (Romae 1794), ap. Migne, *Patr. lat.* XIX, p. 433-sqq.
10° *Sedulii Paschalis Operis Liber quintus, nach dem zum ersten Male verglichenen Handschriften*, von E. Ludwig, Heilbronn, 1880.
11° *Sedulii opera omnia, ex recensione* Iohannis Hvemer, in *Corp. Vindob.* X (1885).

II. — Opera

Analecta Bollandiana, XVI (1897), pp. 501-6 ; XVIII (1898), pp. 387-392.

Arevali (**F.**). — *Prolegomena in Caelium Sedulium* (ap. Migne, *Patr. lat.*, t. XIX, pp. 435-534).

Bainvel (**J.-B.**). — *La prose métrique et la prose rythmique, à propos d'un ouvrage récent;* Etudes religieuses, LIX (1893), pp. 146-154.

Bardenhewer (**O**). — *Patrologie*, Freiburg im Breisgau 1901², p. 395.

Bayard (**L.**). — *Le latin de saint Cyprien*. Paris 1902, pp. 298-307.

Bellet (**C.-F.**). — *L'ancienne « Vie de saint Martial » et la prose rythmée*. Paris, 1897. — *Saint Martial apôtre de Limoges, suivi d'une nouvelle étude sur le Cursus et la critique*. Paris, 1898. — *La prose rythmée et la critique hagiographique*. Paris, 1899. — *L'âge de la « Vie de saint Martial »*, in *Revue des Quest. hist*, LXVIII (1900), pp. 31-37.

Belling (**E.**). — *De Antiphontearum periodorum symmetria*, Diss. Breslau, 1868.

Blass. — *Attische Beredsamkeit*, III ² *Demosthenes* (Leipzig, 1893), pp. 359-370. — *De numeris Isocraticis*, Kiel, 1891. — *Die Rhythmen der attische Kunstprosa*, Leipzig, 1901.

Boissier (**G.**). — *Le* Carmen Paschale *et l'*Opus Paschale, *Revue de Philologie*, VI (1882), pp. 28-36.

Bonnet (**M.**). — *Le latin de Grégoire de Tours*. Paris, 1890.

Bornecque (**H.**). — De eo libro Ludouici Havet, qui inscribitur *Symmaque*, in *Rev. de Phil.*, XVIII (1894), pp. 278-9. — *La prose métrique dans la correspondance de Cicéron*. Paris, 1898. — *Quid de structura rhetorica praeceperint grammatici rhetoresue latini*. Parisis, 1898. — *La prose métrique et le* Dialogue des Orateurs, in *Rev. de Phil.*, XXIII (1899), pp. 284-sqq. — *Les lois métriques de la prose latine, d'après le* Brutus *de Cicéron*, in *Rev. de Phil.*, XXVI (1902), pp. 105-124. — *Les clausules métriques dans Florus*, in *Musée Belge*, VII (1903), pp. 1-21. — *Les clausules métriques dans Minucius Félix*, in *Musée Belge*, VII (1903), pp. 247-265. — *Wie soll man die metrischen Klauseln studiren?* in *Rhein. Mus. f. Philol.* LVIII (1903), pp. 371-381.

Bouvy (**E.**). — *Poètes et Mélodes*. Nîmes, 1886.

Bresslau (**H.**). — *Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und Italien*. Leipzig, 1889, t. I, pp. 588-sqq.

Cagin (D. P.). — *Paléographie musicale de Solesmes*, V (1897), pp. 50-sqq.

Combarieu (J.). — *Théorie du rythme*. Paris, 1897.

Couture (L.). — *Le Cursus ou rhythme prosaïque dans la liturgie et la littérature de l'Eglise latine, du troisième siècle à la Renaissance*, in *Compte rendu du Congrès scientifique international des catholiques*. Paris, 1891, Ve section, pp. 103-9. Cf. *Rev. des Quest. hist.*, LI (1892), pp. 253-161. — *Encore la Question du Cursus*, in *Musica Sacra* (Tolosana), sept. 1893, pp. 11-sqq.

Dabin (A.). — *Nos Oremus, paroles et chant* (in *Rev. du Ch. grégorien*, févr.-juill. 1895).

Draeger (A.). — *Historische Syntax der lateinischen Sprache*. Leipzig, t. I, 1878; t. II, 1881.

Gatschka (Frider.). — *Quaestiones Apuleianae tres*; II, *De Apulei sermone numeris adstricto*; in *Diss. Philol. Vindob.*, XXVIII (1903), pp. 1-sqq.

Giry (A.). — *Manuel de diplomatique*. Paris, 1894, pp. 454-462.

Goelzer (H.). — *Etude lexicographique et grammaticale sur la latinité de saint Jérôme*. Paris, 1884.

Grospellier (D.). — *Le rythme des Oraisons*, in *Rev. du Ch. grégorien*, févr.-oct. 1897, pp. 103-sqq.

Havet (L.). — De Meyeri libro, in *Revue Critique*, II (1891), pp. 207-10. — *La prose métrique de Symmaque et les origines du Cursus*, in *Bibl. de l'Ec. des Hautes-Etudes*, fascic. 94. Paris, 1892. — *Cicero de Oratore*, in *Revue de Phil.*, XVII (1893), pp. 37-47, 141-148. — *Cours élémentaire de métrique grecque et latine*. Paris, 1896[4], pp. 248-sqq. — De libro Constantini Litzica, in *Byzantinische Zeitschrift*, VIII (1899), p. 535.

Huemer (J.). — *De Sedulii poetae vita et scriptis*, commentatio; Vindob., 1878. — *Prolegomena in Sedulium*, Corp. Vindob., X (1885), pp. I-XLVII.

Jonge (E. de). — *Les théories récentes sur la prose métrique en latin*, in *Musée Belge*, VI (1902), pp. 263-274. — *Les clausules de saint Cyprien* (ibid., pp. 344-363).

Kirchhoff (Alfr.). — *De Apulei clausularum compositione* (in N. *Jahrb. f. Phil. Suppl.* XXVIII (1903), pp. 1-56.

Litzica (C.). — *Das Meyersche Satzschlussgesetz in den byzantinischen Prosa, mit einem Anhang über Prokop von Käsarea*. München, 1898.

Macé (A.). — *Essai sur Suétone*. Paris, 1900, pp. 379-sqq.

Marx (**F.**). — *Incerti auctoris de ratione dicendi ad C. Herennium libri IV*. Leipzig, 1894; Prolegomena, p. 99.

May (**J.**). — De libro Wolffii, in *Archiv f. latein. Lex.*, XII (1902), pp. 594-sqq.

Meyer (**Gustav**). — De libro Gulielmi Meyer, in *Berliner Philol. Wochenschrift*, XII (1892), p. 182.

Meyer (**Wilhem**). — *Ueber die Beobachtung des Wortaccents in der altlateinischen Poesie*. Abhand. d. kön. bay. Akad. d. Wiss., XVII (1885), p. 8. — *Anfang und Ursprung der lateinischen und griechischen rhythmischen Dichtung*. Abhand. d. kön. bayer. Akad. d. Wiss. z. München, XVII (1885), p. 265. — *Der accentuirte Satzschluss in der griechischen Prosa vom IV bis XVI Jahrundert*. Göttingen, 1891. — *Die rhythmische lateinische Prosa, und L. Havet la Prose métrique de Symmaque*, in *Gött. gelehrte Anzeigen*, I (1893), pp. 1-27. — *Fragmenta Burana*. Berlin, 1901.

Mocquereau (**D.**). — *Musica sacra* (Mediolanensis) 5 mart. 1893 — *Paléographie musicale de Solesmes*, IV (janvier 1894-avril 1895, praecipue pp. 27-28). — *Notes sur l'influence de l'accent et du Cursus toniques dans le chant ambrosien*. Paris, 1897.

Mueller (**E.**). — *De numero Ciceroniano*, diss. Berlin, 1886.

Mueller (**L.**). — *De re metrica poetarum latinorum praeter Plautum et Terentium, libri septem; accedunt eiusdem auctoris opuscula*. Lipsiae, 1861.

My. — De libro Constantini Litzica, in *Revue Crit.* 1899, I, p. 70.

Norden (**E.**). — *De Minucii Felicis aetate et genere dicendi*. Gryphiswaldiae, 1887. — *Die antike Kuntsprosa vom VI Jahrhundert v. Chr. bis in die Zeit des Renaissance*. Leipzig, 1898, pp. 41-sqq.; 757-sqq.; 909-sqq.

Pichon (**R.**). — *Lactance, étude sur le mouvement philosophique et religieux sous le règne de Constantin*. Paris, 1901. pp. 324-334.

Quentin (**D. H.**). — *La plus ancienne vie de saint Seurin de Bordeaux*, in *Mélanges Couture*. Toulouse, 1902, pp. 23-63.

Roensch (**H.**). — *Itala und Vulgata*. Marburg und Leipzig, 1869.

Schmidt (**J.**). — *Das rhythmische Element in Ciceros'Reden*, in *Wiener Studien*, XV (1893), pp. 209-247.

Skutsch (**F.**). — *Zu Favonius, Eulogius und Chalcidius*, in *Philologus*, LXI (1903), pp. 623-626. — *Zu Favonius Eulogius*, in *Philologus*, LXI (1903), pp. 193-4.

Valentin (**L.**). — *Saint Prosper d'Aquitaine* (Paris-Toulouse, 1900); pp. 865-888, *le cursus de saint Prosper*.

Valois (N.). — *De arte scribendi epistolas apud Gallicos medii aeui scriptores rhetoresue*. Parisiis, 1880. — *Et. sur le rythme des Bulles pontificales*, in *Bibl. de l'Ec. des Chartes*, XLII (1881), pp. 161-68, 258-272.

Vendryes (J.). — *Recherches sur l'histoire et les effets de l'intensité initiale en latin*. Paris, 1902.

Wichmann (C.). — *De numeris quos adhibuit Demosthenes in oratione Philippica* I., Kiel, 1882.

Winterfeld (P. v.). — *Der Satzschluss bei Favonius Eulogius*, in *Philologus*, LXI (1903), pp. 623-sqq. — *Die Handschriften des Eugippius und der rhythmische Satzschluss*, in *Rhein. Museum*, LVIII (1903), pp. 363-370.

Wolff (J.). — *De clausulis Ciceronianis*. Leipzig, 1901 (in N. *Jahrb. f. Phil. Suppl.* XXVI (1901), pp. 577-680).

Wuest (G.). — *De clausula rhetorica quae praecepit Cicero, quatenus in orationibus secutus sit* (Diss. Argentoratenses selectae, V, pp. 227-328), 1881.

Zielinski (V.). — De J. Wolffii libro in *Deutsche Litteraturzeitung*, XXII (1901), pp. 3243-5.

II. — INDEX NOMINVM ET RERVM.

tibus rogauit, p. 22 ; errauit in dinumerandis quibusdam clausularum generibus, p. 29.

WUEST (G.). — Quid de accentibus in spondiaca clausula doceat, pp. 2, 10, 62-63 ; a Bornecquio reprehensus, p. 63 ; quid de Ciceroniano hiatu sentiat, p. 35 ; quid de genetiuis in *ii* exeuntibus, p. 74.

ZIELINSKI (V.). Omnes clausularum formas ex una uult esse natas, p. 10.

III. — INDEX LOCORVM SEDVLIANORVM, DE QVIBVS DISPVTATVM EST

TABVLA

Tolosae, ex typis Societatis Sancti-Cypriani.

ADDENDA ET CORRIGENDA

P. 2,	l. 16	*pro*	Julius	*lege*	Iulius.
P. 22,		—	*spondaeus*	—	*spondeus.*
P. 30,	l. 8	—	*nōbĭs*	—	*nōbis.*
P. 43,	l. 2	—	servare	—	seruare.
P. 58,	n. 4	—	– ◡ | ⊥́ ◡́ ◡ ∾	—	– ◡ | ⊥́ ◡́◡ ∾.
P. 60,	n. 3	—	Havet)	—	Havet(
P. 65,	n. 1	—	V II	—	Vol. II.
P. 75,	n. 3	—	*sáeclum*	—	*saeclum.*
P. 76,	n. 1	—	L, MUELLER	—	L. MUELLER.
P. 81,	n. 2	—	*Konsentius*	—	*Consentius.*
P. 94,	l. 8	—	3348	—	3349.
P. 103,	l. 13	—	vox	—	uox.
P. 122,	l. 11	—	*nomque*	—	*namque.*
P. 123,	l. 19	—	*muliebren*	—	*muliebrem.*
P. 125,	l. 23	—	contemnere	—	contingere.
P. 73,	l. 32	*post*	*satis est,*	*adde*	etc.